OBSERVATIONUM ET CURATIONUM MEDICINALIUM DE FEBRIBUS EPHEMERIS ET CONTINUIS LIBRI DUO.

In quibus earum caussæ, signa, prognoses, curatio, graphice depinguntur:


D. PETRO FORESTO ALCMARIANO Medico auctore.







ANTVERPIÆ,
Apud Christophorum Plantinum.
M. D. LXXXIIII.



IN CLARISS. VIRI D. PETRI FORESTI LIBROS OBSERVATIONVM IN CVRANDIS FEBRIBVS.

Si digni quondam Podalirius atque Machaon
Maeonio vati, qui canerentur, erant;
Vulneribus gnari Minyeia centaureia
Indere, & adducta vellere tela manu:
Qua noster non est dignandus laude Forestus,
Qui curat medica saucia corda manu?
Tela cutem laedunt, faciuntque opis indiga docta
Vulnera; mens iaculis inuiolata manet.
At febres quid sunt aliud, quàm vulnera cordis,
Quae facili non sunt arte leuabilia?
Quippe necant hominē, faciūt quoq; saepe furorē,
Ipsa morte magis perniciale malum.
Haec mala qui metuit, veneretur iure Forestum,
Qui vitare monet, quique leuare docet.

ἄλλο

Ος πυρετόντ' ὠθεῖν, πυρετοῦτε ἐέλδετ' ὀπαδοὺς,
Εὑρήσει πάντων ἐνθάδ' ἀκεσορίην.

P. T.

AMPLISS. PRVDENTISSIMISQVE CONSVLIBVS ET SENATVI POPVLOQ. DELPHENSI PETRVS FORESTVS MEDICVS S.



OSTQVAM primæ ætatis meæ non minimam partem, viri præstantissimi, in humanioribus litteris consumpsissem, nec tum quidem vllum vel vitę, vel studiorum genus certum delegissem: variæ cogitationes me diu multumque retardarunt, cum præter alios Iordanus Forestus pater mihi charissimus ad legum scientiam me adhortaretur, quæ cum mihi difficillima videretur ob tãtam & auctorum & opinionum varietatem, cumq. ipse reluctante etiam natura à litibus, quibus disceptandis dirimendisque iuris cognitio perpetuò est occupata, abhorrebam: ea spe protinus abiecta, tandem medendi artem, ad quam naturæ quodam genio propendebam, multis nominibus mihi consectandam proposui. Siue enim dignitatem eius, siue præstantiam, siue vtilitatem, siue necessitatem considerarem, reliquis certè omnibus artibus lõgè superior mihi videbatur. Nolui tamen hoc studiorum genus citra patris cõsensum amplecti. Proinde cum Petrus Nan-

nius Latinæ linguæ apud Louanienses professor, ciuis meus, & præceptor obseruandissimus, literis patri hoc suasisset, factum est tandem vt permitteret mihi pater, pro animi sentẽtia medicinæ operam nauare. Cùm itaq. animum ad eam rem appulissem, & postea intellexissem ex Galeni doctrina, omnes ingenuas artes, partim ratione, partim experientia comparari: existimaui etiam mihi cum doctissimis, exercitatissimisque medicis esse versandum, vt non modo artis theoriam, verũ & tecmarsin rectè possim adipisci. Quamobrem cum Louanij quatuor pluresue annos theoriæ insudassem sub Hieremia Brachelio philosopho ac medico insigni, & aliis haud contemnendis medicis, eo tempore medicandi scientiam profitentibus: tandem Italiam accessi, vt & praxim à doctoribus expertissimis, tam Bononiæ & Patauij, quàm Romæ, aliisque in locis celebrioribus perdiscerem, quò etiam illa, quæ apud eos circa ægrotos obseruassem, aliquando in vsum quoque producerem. Inter præcipuos verò tum temporis Romæ erat Gissibertus Horstius Aemsterodamensis magni nominis medicus, qui præerat nosocomio Mariæ consolationis. Bononiæ verò celeberrimus ille Archiatrus Benedictus Fauentinus, Iacobus Erigius, qui nosocomium Mortis (quod vocant) curandum susceperat, &

inter

inter alios vel primo nominandus Elidæus, practicus insignis, nosocomij Vitæ, vt vulgo appellitant, medicus. Patauij verò Vesalius ille Anatomicus, quorum omnium animis propter diligentiam ac fidem acceptissimus eram. Cùm igitur istis in locis apud hos præstátissimos medicos & præceptores meos, & alios non minus celebres (quorum mentio in nostris commentariis subinde fit) ad annos aliquot egissem, ægrotantes non paucos ab iisdem curatos vidissem, ac simul quæ ad praxim spectant studiosè obseruassem, tacitus apud me cogitare cœpi, quàm laboriosum (ne dicam miserum) sit semper discurrere & incertis sedibus vagari. Itaque tandem mihi locum aliquem esse deligendum existimaui, in quo ætatis meæ reliquúm transigerem, victumque ex arte medica honestè mihi quærerem. Quo factum est doctorum hominum consilio, vt relicta Italia Galliam accederem, ac Lutetiæ ad aliquot menses primo omnium praxim inter domesticos ac notos cœperim exercere, & humanissimè à Vido Vidio Florentino & Philosopho, & tunc temporis Regis Galliæ Physico, acceptus: ad quem literas commendaticias à præstantissimis medicis Italicis attuleram: non minus fui gratus Iacobo Syluio professori regio, cui tum temporis Galenum de facultatibus simplicium medica-

 mento-

mentorum prælegenti, aliqua simplicia atque herbas subministraui, quas ipse partim cũ viris doctis, partim etiam cũ Valerio Cordo iuuene doctissimo, quo cum Romæ coniunctissimè vixi, cui ibidem & morieti anno 1544. oculos oppressi, magno labore diuersis Italiæ locis mihi collegeram. Verùm postea, eodem Syluio admonitore, litterisque commendaticiis ab eo acceptis, Pythueras veni, qua vrbe per annũ medicinam feci. Tandem verò patre & amicis, per literas, crebrò me reuocantibus, reuersus sum Alcmariam, patriam mihi dulcissimam. Vbi verò multis indiciis ab ineunte etiam ætate, quadam naturæ propensione à Deo me ad hanc professionem vocatum fuisse animaduerterem, huic certè arti, humano generi adeò necessariæ, totum me deinceps consecraui. Veniebat enim sæpe mihi in mentem diuinissimum illud Pythagoræ philosophorum sapientissimi, nempè duo longè omnium pulcherrima, diuinisque operibus consimilia, nobis à Deo fuisse concessa, veritatem scilicet eloqui, & mortalibus benignè facere. Id ego mecum propius animo reputans, viri clarissimi, verissimam tanti philosophi sententiam esse cognoui. Deus namq. cum res omnium summa perfectissima, verissimaq. sit, omnis veritatis fons est vberrimus. Idem cùm sit perquàm beneficus & liberalis, in vniuersum

uersum terrarum orbem, munera sua longè lateque diffundit: & quicquid est, à Deo vitam & perfectionem, quantam eius natura capere potest, adipiscitur. Quapropter ego collatis in me Dei muneribus, aliquo pacto defungi cupiens, vt primùm per ætatem licuit, veritatem perdiscere, aliosque docere, atque humanum genus pro virili parte iuuare constitui. Inde factum est cùm ad laudatissimam artem medicam perdiscendam (vt nunc diximus) me contulissem, in eaque annos multos elaborauissem, medicinam etiam apud exteros faciendo, tandem patria relicta, vbi duodecim quoque annis, qua potui diligentia, ciuibus meis curandis operam impendi, ad vestram vrbem vocatus accessi, eo potissimum tempore, quo pestis vltra modum ita grassabatur, vt vehementior magisque mortifera nunquam apud vos visa fuerit, vsque adeò vt infiniti, etiam violentis per Empiricos purgationibus, præter rationem propinatis, (quæ in tam atroci malo minimè conueniunt) atque intempestiuis venæ sectionibus ad orcum demitterentur, multis tamen per me & Cornelium Heydium medicum insignem & collegam meum piæ memoriæ, Dei ope sanatis. Facturus itaque deinceps operæ pretium mihi videor (postquàm vestræ Reipublicæ per viginti septem annos medicus publicus fidelis-

 simè

ſimè inſeruierim, & iam annum agens ætatis ſexageſimum ſecundum, breui videar aliis curſu lampada traditurus) ſi ſcriptis meis, vobis, ciuibus veſtris, atque aliis non minus, quàm hactenus curationibus diligenter intentus, prodeſſem, & meas in re medica obſeruationes in manus hominum darem. Quas non ſolùm veſtris ciuibus atque ignotis vtiles fore confido, verùm medicis ipſis, qui mihi ſuccedent. Quoniam ex iis intelligent, quibus remediis pleriq. veſtrum, vera methodo curati fuerint. Quæ certè ſcripta, ſicut à morte mea ad memoriā poſteritatis ſupererunt, ita meæ in vos beneuolentiæ atque fidei teſtimonium eſſe volui. Medici enim ingenui eſt, ac veri philoſophi, officij ſui memorē eſſe, omniaq. ſua ſtudia atque labores ad hominum ſalutem referre. Et ita multas habeo cauſſas, viri ornatiſſimi, eaſque grauiſſimas, quibus impulſus, has laborum meorum primitias, ſub veſtri nominis auſpiciis in lucem emittere, vobiſq. potiſſimum dedicare conſtitui. Et ſi enim à natura me ad hoc poſteritatis adiuuandæ ſtudium natū eſſe aliqua ex parte viderē, in eamq. rem toto animo, & ſtudio omni incumberem, cogitationum deniq. mearum prima ſemper illa eſſet & antiquiſſima, quo quàm plurimis mea opera prodeſſe (conſilium ſecutus ſummorū virorum, & doctiſſimorum hominum) & iuuandi ſtu-

di ſtudio antecellere poſſem: hactenus tamen ſemper quo minus id, quod auidiſſimè cupiebam, re ipſa præſtarem, multa mihi impedimento fuerunt. Nec ignoro longè difficillimum eſſe vnicuique ſatisfacere, hac maximè tempeſtate, ſæculoque obtrectatorum feraciſſimo, in quo nemo eſt ferè, qui maleuolorum dentes ac morſus prorſus euadat. Sunt etenim varia hominum ingenia, quod vni placet, multis diſplicere ſolet. Deinde & hoc accedit, quod his peruerſis hominum moribus, adeò quorũdam delicatæ ſunt aures, vt nihil niſi quod ſummo ſtudio elaboratum, & omnibus ſuis numeris ſit abſolutum, audire velint; & ſi quid ab illa ſumma perfectione abſit, ſtatim tanquàm ineptum, nullo prorſus adhibito iudicio, vel animi æquitate, turpiter cauillentur non abſq. ſumma exiſtimationis læſione, & bonarum litterarum iactura, cùm minimè animaduertant, nunquid idem quoque vtile ſit, quod adeò ornatum eſſe volunt. Propterea patronis aliquot opus eſſe mihi iudicabam, qui ſi forte labor meus in calumnias maleuolorum, quaſi ſcopulum quẽdam incurriſſet, vindicare me à crimine, velut naufragio, poſſent. Etenim hæc ætas neſcio quo fato ad carpendũ etiam ea, quę à multis rectè ſcripta ſunt, quàm ad laudandum ac imitandum propenſior eſt, adeò vt ne ſummis quidem ſcripto-

ribus parcat. Ad hanc igitur caussam vos, vtpote gubernatores reipublicæ, cuius stipendiis milito, defensores mihi ac vindices delegi. Nam illi, quibus respublica commissa est, teste Cicerone, non solùm bonam caussam tueri atq. defendere contra improbos atq. contumeliosos debent, verùm etiam facta & consulta fortium & sapientũm cum improborum ignominia sempiternis monumentis laudare. Nolui itaque alios mihi Mæcenates quærere, quàm eos, qui publico honorario me omnium primo decorarunt. Nec dubito, quin Obseruationes istæ meæ, quas magna ex parte in vrbe vestra annotaui, valdè gratę vobis atq. ciuibus vestris vel hoc nomine futuręsint, vt si qui alij sint, qui inde emolumẽtum captent, id vobis quoque adscribendum fuerit, quibus vt ego plurimum debeo; ita, ne ingratus videar, hanc scribendi prouinciam in vtilitatem vestram suscepi. Non enim in edendo isto opere magnam ingenij aut industriæ laudem capto, sed amicorũ postulatis satisfacturus, volui istos duos libros Obseruationum & curationum de febribus, tamquàm aliorum anteambulones, veluti fructus exstare otij litterarij, quib. etiam ostenderem gratitudinem meam erga ciues vestros, qui in morbis suis meam opem implorarunt, ac diuina gratia opitulante sanati sunt, in quorum vsum atq. vtilitatem hosce ingenij mei

fœtus

fœtus edere visum est. Quod si intellexerim primum hunc partũ meum vobis gratum fore, ad alia ęgrotantib. non minus vtilia parturienda & in lucem emittenda me accingã. Interim hos libros, quos nunc S. P. Q. D. dedico consecroque, pro vestra humanitate ac beneuolentia hilari fronte excipiatis velim. Scio leuidense esse munus: sed cùm apud Ælianum legerim Artaxerxi, Persarum Regi cognomento Mnamoni, agrestem quendam haustam è proximo flumine aquam caua manu obtulisse: neque ab eo reiectum, sed comiter acceptum, & phiala aurea, stola Persica, milleque daricis donatum abiisse: nihil addubito quin hæc nostra, qualiacunque tandem sint, vobis non minus grata sint futura. Quæ nostri erga vos animi, veluti arrabonem qualemcunq. mittimus, deinceps & reliquos ad febres pertinentes, & eos quos contra Empiricos circumforaneos, ac de incertõ vrinarum indicio, contra Vroscopos & Vromantes scriptos, etiamnum domi habeo, Deo volente in lucem daturus, modo hos non displicuisse vobis animaduerterim. Valete viri Ampliss.

Lib. 1. Var. hist.

Ex nostro musæo, ipsis Calendis Ianuarij anno nouissimi temporis M. D. LXXXIIII.

Addictissimus vestræ Reipublicæ Cliens
PETRVS FORESTVS.

AD CANDIDVM LECTOREM PRÆFATIO.



b eo tempore, lector candidißime, quo medicinam facere cœpi, multa & quædam selectiora, quæ in ægris curandis obseruaßem, atque in aliquot volumina, quamuis dispersa, collegißem; non eo quidem consilio vt ea in lucem aliquando prodirent, aut euulgarentur; sed potius mihi scripseram, vt memoriam fidelius confirmarem, tum vt obliuiosæ senectuti consulerem, eámque labore aliqua ex parte leuarem. Cæterùm vbi ad iustam iam senectutem perueniſſem, medici haud vulgares, qui hæc nostra commentaria & vidiſſent, & diligenter perlegiſſent, me seriò ad editionem hortati sunt, cum ea tironibus non solùm vtilia, verùm & aliis medicis iam praxim exercentibus, etiam necessaria fore iudicarent: ægrè tamen vt ea prælo committerem, mihi persuaderi paſſus sum. Mihi enim meæ ingenij tenuitatis satis conscius sum, in hac præsertim tanta scriptorum huius ætatis admiranda copia. A quibus tam solerter tamq́ limatè elaborata in publicum emittuntur, vt maiorum plurima scripta obscurare, atq. adeò obtegere videantur. Quod me cunctabundum

bundum diutius retinuit, si quidem, non me fugit, quantum sit naturæ ingeniĳq́; viribus ad scribendum feliciter opus. Quámque eos multarum rerum scientia, vsu, & exercitatione instructos esse oporteat, qui aliquid in lucem edunt, hoc maximè sæculo, in quo doctißimorum virorum tot centuriæ florent, ac debitam retinent dignitatem. Ea verò quàm sint in me exigua, perspexi. Et quanquam hac in re fortaße medicinæ studiosis atque tironibus, tum aliis quibusdam medicis, aliquid vtilitatis adferre poßum, innumeri tamen sunt primæ notæ viri, quorum alĳ superiore ætate, his iisdem de rebus, quibus aliqui curati sunt, & quibus rursus nulla remedia profuere, felicißimè & simul doctißimè scripserunt; inprimis verò venerandus ille senex Hippocrates, vt libri eiusdem Epidemiorum testantur. Quot historias curatorum nobis quæso reliquit Galenus ille post Hippocratem, si quis alius medicus eruditißimus & expertißimus? quarum historiarum campos, nuper Symphorianus Campegius, eques auratus, & illustrißimi Lotharingiæ ducis archiatrus in quattuor libros congeßit, atque eos commentariis luculentißimis illustrauit. Taceo nunc alios celeberrimos medicos (etiam præter Amatum Lusitanum medicum doctißimum) qui nostro sæculo non infeliciter superiores imitati sunt, ídque non sine

magna

magna vtilitate ægrotantium ac medicorum in ea cura & labore versantium, cum ipsi animaduerterent exemplis omnia non solùm lucidiora & planiora fieri, verùm etiam memoria melius commendari. Hi quidē adeò hanc spartam (quod aiunt) ornarunt, vt iam nihil nostris laboribus & industriæ reliquisse videantur. At amicis, virisq; doctissimis instantibus atque etiamnum vrgentibus, ne hæc commentaria, hactenus mihi ipsi reseruata, mecum commorerentur, tandem rationibus grauissimis eorum conuictus, non potui non iisdem morem gerere, ob tres præcipuas caussas, à Galeno 7. methodi medendi statim in ipso initio, ad Eugenianum amicum suum charissimum, hoc modò scriptas: Tu enim
» *mihi conscius es, neque hoc me opus, neque aliud*
» *vllum popularis auræ studio fuisse aggressum,*
» *sed quo vel amicis gratificarer, vel me ipsum si-*
» *mul vtilissima ratione ad rem propositam exer-*
» *citarem, simul ad obliuionem (vt Plato inquit)*
» *commentarios mihi reponerem. Sed quod ad librorum titulum attinet, iis quidem Obseruationes & curationes medicinales inscripsi, non quidem more Empiricorum, tanquam nuda tantùm esset obseruatio, aut historia obseruatorum, cum obseruatio eadem sit cum experientia: interim tales obseruationes intelligimus, quibus & rationes adiungantur. Et ideò nuda experientia,*

qua Empirici solùm innituntur, non fui contentus, cùm me vbique rationalem medicum profitear, cum obseruatio Empiricorum in similium accidentium concursibus, colligi nequeat, vt in libris nostris contra Empiricos ex mente Galeni apertè demonstrauimus. Ideò etiam curationibus nostris simul caussas, signa, & prognoses adieci, similiter explicando partem affectam, & affectum ipsum ad maiorem horum omnium interpretationem scholiis quoque adiunctis, vt nihil ad veram methodum curandi omnium morborum desiderari posset. Cùm enim aliquando cum Ophusio mathematico insigni præceptore meo obseruationes Harlemi in cælo perscrutarem, de quibus Iohannes Regiomontanus scripsit, quas & Iohannes Schonerus Carolostadius additionibus quoque auxit, atque Ophusius gloriaretur, se aliquot Mercurij planetæ inconstantis obseruationes habere: ab eo quidem tempore cum debilis essem, nec iniurias aëris ferre possem, vt noctu stellas ita obseruarem, professionis meæ, nempe medicinæ memor (non quod Astronomiam vt præclaram scientiam, vnà cum Astrologia negligendam omnino esse duxerim, cum has ipsas artes tamquam pedissequas medicinæ, etiam medico vtiles esse scripserim contra Empiricos huius nostri sæculi) potius in microcosmo, scilicet in homine ipso, si ægrotaret, obseruationes

postea

postea instituere decreui, quam in ipso cælo. Prouidi formulas in libris meis apud pharmacopæos pro ægrotantibus descriptas, & quæ ad hamum tanquam laceræ & puluere obductæ propendebant, rursus colligere cœpi, curationibus adiectis atque in ordinem redactis; exordio sumpto ab ipsis febribus, nempe morbis vniuersalibus, vt sic paulatim ad particulares quoq. deuenirem. Nam vniuersam febrium naturam cognoscere, non medico soli, sed reliquis quoque hominibus vtile admodum est, ac etiam necessarium: illi vt certa methodo curet: his vt præcaueant, & febrem curanti medico morem gerant. Quod febris ipsa morbus sit & frequentissimus, & sæpe acutissimus, vel acutis propè omnibus morbis connexus, à qua maximum vitæ periculum non raro impendet. Adde quod reliquorum morborum plurimi vnicam tantum actionem lædunt: animalem scilicet, aut vitalem, aut naturalem: febris verò omnes actiones has omnes lædit. Quin & bellua ista tam furiosa febris, actiones istas lædit: non solùm sua violentia & ferocitate ac malignitate, sed etiam suorum symptomatum tam multitudine, quàm magnitudine. De quibus tum leuibus, tum grauibus & vehementibus, ac vitæ periculum intentantibus, fusius in istis obseruationibus, agimus. Quapropter opinor, febrem ceu morborum omnium malignissimam & sæuissi-

mam

mam luem, ne noceret, Romani coluisse dicuntur, tamquam Veioues. Ne igitur tirones, istis nostris commentariis, quamuis in septem libros digestis, diutius frustrarentur, Plantinus Typographus ille insignis, duos tantùm libellos priores, nempe De ephemeris, Synochis & continuis febribus putridis, imprimendos suscepit, bello nunc vndique hîc tumultuante, & Marte vbiq. (cui nihil commune est cum Parnasso ac Musis) grassante, cum difficulter partim ad manus doctorum virorum perueniant, partim quòd omnia sint cariora, metuens nimirum ne exemplaria minus distraherentur. Interim pollicitus est reliquos se impressurum non solùm de febribus, sed & alios commentarios, qui apud nos adhuc latent, modò animaduerterit hos tamquam aliorum præcursores, auidè à studiosis amplecti. De qua re non dubitamus, ita vt non opus sit, plura de vtilitate horum librorum hîc adiicere: cum omnis virtus, teste Aristotele, quem etiam Cicero sequitur, in actione consistat. Haud exigua enim illa vtilitas videtur, quæ non solùm obseruatione per experientiam comprobata sit, verùm etiam solida ratione confirmata, dum his exempla plurima ægrotantium referuntur, quibus quoque infiniti mortales ad necem vsque decumbentes, pristinæ sanitati restituti sunt, & quibus modis alij quoque sanari possunt. In hac autem

tem nostra arte, hoc genus scribendi, aliis omnibus antecellit: quæcúmque enim ad actionem referuntur, eadem semper optima esse oportet: nam ipsa ars medendi, de qua nunc agimus, absq. aliis medicinæ partibus nec dignosci, nec tractari commodè potest. Siue igitur sanitatis, morborum genera, differentias, caussas, partes, effectus, signa, remedia, & reliquæ materiæ medicæ vim, naturamq́ per se quærimus, omnia hæc ipsa ad conseruationem, curationem, & alias actiones, quas varia conditio corporis postulat, referimus. Quod ad stilum scribēdi pertinet, simpliciter ac nudè historias, texui, potius medicè quàm oratoriè, & quamuis varius ille nonnunquam videtur, tam in Obseruationibus, quàm in scholiis ipsis, modò purior, modò etiam in oculis aliorum fortasse magis barbarus, minus Lectorem æquum offendet, qui etiam, vti spero, nasuti alicuius Momi, aut perspicacis hac in re Aristarchi reprehensionem, siue seueri Catonis censuram, à me auertet. Quamquam minimè ignoro multos desideraturos Romani sermonis emendatiorem structuram & nitorem, in dicendo copiam, atque orationis splendorem. Sed materia hæc subiecta isthæc lumina verborum non requirit. Medica enim est, vt & Manilius verè dixit:

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Et ideò non veritus fui modò Græcos, modò Latinos,

tinos, modò Arabes, modò Barbaros etiã in medium adferre, ac ſubinde eoſdem ſequi. Perinde enim mihi ſunt, à quibus aliquando vtilia exceperim, modò ad rem facere & opem ferre poſſe, exiſtimarem. Quod Galenus & poſt eum Oribaſius, Aetius atque Paulus, & alij veteres, iunioréſque, multò me præſtantiores fecerunt, qui etiam ab hominibus plebeis veriti non ſunt aliquando medicamenta mutuare, modò ea iuuare cognoſcerent. Propterea, amice Lector, ſi animaduerteris me quandoque vſum fuiſſe barbaris vocabulis, aut parùm Latinis, noſtrorum temporum calamitati id tribuas rogo, & corruptæ loquendi medicorum conſuetudini. Vnicus mihi ſcopus ſemper fuit in iſtis Obſeruationibus, tum in aliis omnibus commentariis meis, vt Medicos potiùs quàm Oratores efficerem, qui reipublicæ aliquando vtiles futuri eſſent, tum etiam veram rationem medendi vnà cum pietatis laude exercerent: id ſemper quidem apud Deum flagitaui in hac mũdi ſenecta in qua artes omnes ad ſummum faſtigium peruenerunt, & in qua omne in præcipiti vitium ſtetiſſe videtur, dicente poëta:

Nil habet vlterius, quod noſtris morib. addat
Poſteritas.

Ita & hodie quamuis eruditi multi, plurimi verò aſtuti, pij admodùm pauci. Chriſto itaque auſpice, cui omnia mea debeo, quæ hactenus obſer-

uaui, quæq; ex dignis auctoribus excerpsi, quæq; apud præceptores meos & vidi & didici, atque diligentius perspexi, quibus vsi fuerint, quæ'ue mihi nunc seni existenti experta & approbata cognoui, liberè in commentaria ea redigem & quibusuis omnia mea communia faciam, in vtilitatem ægrotantium non abhorrui, neq. talentum mihi à Domino commissum sub terra condere, nec abditum quicquam in nostra arte aut arcanum, posteritati iniquior, apud me seruare volui. Quicquid igitur sit quod in lucem damus, benigne Lector, boni consule: non enim ex eo auram popularem, aliámue laudem magnoperè venor, cum hunc laborem ægrotantibus omnibus, non infrugiferum libenter susceperim. Dies erit, quando vnicuique à Domino laus sua accedet, dummodo illius accrescat gloria, & proximus istis nostris operibus aliquo modo iuuetur, abundè satis erit factum meis votis. Vale.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM DE FEBRIBVS EPHEMERIS SYNOCHIS LIBER PRIMVS, PETRO FORESTO ALCMARIANO MEDICO AVCTORE.

Obseruatio prima de febre ephemera.

HADRIANVS Alovvinus Delphius Zythepsa (alij Cereuisiarium vocant) circa solstitium hyemale, ex leui peregrinatione cum in exiguam lassitudinem incidisset, atque aluum vtcumq. lubricam haberet, ephemera febre correptus est. Ad quem cum vocatus essem, atque animaduertissem quod eodem tempore ter aluum per se deposuisset, eundem in lecto quiescere mandaui, sudore leui per se non admodùm diu postea emanante. Cumque lotium inspexissem, quod reseruatum erat, boni esse coloris, ac suauem calorem in toto corpore persentirem, hominem de salute sperare iussi, quodq. paucis horis à febre in totum liberaretur, prædixi: neque hæc prædictio me fefellit. Nam post viginti quatuor horas à febre liberatus, rectè deinde valuit. Tales autem Paulus Ægineta ex Galeni auctoritate lib. 2. cap. 15. pinguiter ac molliter fricari iubet, ac deinde ad balneū mittit. Aëtius verò lib. 5. cap. 58. hos dulci prius tepidoque oleo suauiter perfricatos ad balneum quoque deducit. At nos victu nutriente tantùm contenti, qui defatigatis (eodem Aëtio teste lib. 5. cap. 64.) conuenit, aliis remediis vsi non sumus. In-

Gal. in methodo medendi.

terim ad recreandum, exiguum vini Rhenani, aquosi albi, subtilis, dedimus: quale omnibus ephemeris exhiberi solet. nam præter id quod coctionem adiuuat, vrinas etiam & sudores prouocat: si capite doluisset, ab eo abstinuissemus.

SCHOLIA.

C*um de omnibus morbis exempla quædam, eorum quæ in Obseruationibus & curationib. omnium affectuum animaduersione digna esse existimauimus, in gratiam iuniorum medicorum adferre institutum sit: quædam de singulis tantùm affectibus & morbis, scilicet selectiora, non omnia (quæ numerum excederent) adducemus, eaque breuissimè quantum fieri potest explicabimus, ab vniuersalibus morbis seu affectibus incipiendo, paulatim ad particulares progrediendo. Rectè enim ab iis vitiis incipiemus, quæ totis corporibus inhærescunt. Ex horum ordine frequentissimum malum est, & generi hominum inimicissimum febris: adeò vt quorundam literis proditum sit, nunquam quenquam, exceptis biothanatis, sine eo morbo vitam amisisse. Præterea varij sunt morbi & multiplices affectus, qui febrem adiunctam sæpe habent, ideoque de febribus, vtpote morbis magis vniuersalibus primò agemus: circa enim febres cognoscendas & curandas non solùm tirones, sed etiam seniores atque exercitati medici magna solertia & industria vti debent. Quamobrem ne in cognitione & curatione febrium vagetur oratio, quod facile fieri possit in tam lato campo omnium febrium, cuius valdè sinuosa est tractatio, omnia quæ dicturi sumus in tria genera febrium distribuemus, in eam quæ ex spiritibus fit, ex humoribus, ex solidis partibus. Ad primum genus referuntur quæ Ephemeræ à medicis dictæ sunt (harum exemplum vnum nunc adduximus) de quibus omnium primò dicemus. Sed antequàm ad eas explicandas*

candas veniamus, prius in genere sciendum est quid febris significet, vt sic eiusdem natura & definitio magis innotescant. Latini vno vocabulo febrem nuncupant à verbo ferueo, est enim febris veluti feruor quidam seu ferueſcentia quædam corporis, quod ab ea corripitur. vel à februo, quod dicitur à feruēdo apud veteres, vt annotauit Iosephus Scaliger ad Varronem. Græci verò vt Hippocrates & Galenus πυρετὸν interim πυρεξίαν nuncuparunt, ἀπὸ τοῦ πυρέττω verbo Græco, quod Latinè significat febricito seu febre corripior: secundo ἀπὸ τοῦ πυρὸς, καὶ ἕξις, Latinè autem habitus seu dispositio ignea: ita & Hippocrates febrem ardentissimam solitus fuit ignem appellare, vt 1. De morb. vulg. quasi non aliam habeat naturam præterquàm ignis substantiam, teste Gal. lib. De rat. vict. comment. 3. text. 18. & 19. Nequaquam tamen febris re ipsa est ignis, nam ea laborans animal non viueret. sed vbi calor auctus est vt hominem offendat & actionem lædat febris est. 8. meth. med. & sic est veluti corporis immoderata caliditas, vt lib. 1. De caus. morb. cap. 2. Et licet calor videatur impediri in principiis febriū, rigore, horrore, refrigeratione, & extrema aliquando frigent vt in febre syncopali, vel sudore frigido occurrente, quæ cum febris symptomata sint, interim febris manet, neque dicenda febris frigida, nisi per abusum ex accidenti & impropriè, vtpote à causa frigida orta, vel ex accidenti partibus quidem corporis refrigeratis intus reuocato calore, vel ab aliqua forti inflammatione, seu erysipelate. Hic etiam calor febrilis intelligitur de qualitate, vt 2. De temp. cap. 2. & 1. apho. 14. eaq; non simplex est, nec sincera, sed aliarum etiam qualitatum quodammodo particeps, estq; actu non potentia vti tactu iudicatur non ratione: nam quod potestate calidum est ratione inuestigatur. Non ab re quotquot febris essentiam nobis manifestare tentarunt, omnes per calorem eam definiuerunt. Ex quibus dictis nunc etiam

Ratio nominis febris tā apud Latinos quàm Græcos.

Notio rei quæ febris dicitur.

Febris definitio. *facilè patet definitio ipsius febris, eiusque natura, cum eam Auicenna fen. 1. quarto, definierit calorem extraneum: Galenus verò natiuum calorem in igneum mutatum, aphor. 14. & 16. & lib. 1. De rat. vict. Est enim calor, non res calida, 8. method. 1. & 9. & 14. sed auctus & in igneum mutatus, cuius ratio colligi potest 1. aphor. 14. siccitati coniunctus 1. aph. 16. & 1. rat. vict. morb. acut. tex. 16. in corde accensus, vt liquet 1. de diff. feb. cap. 3. per totum corpus vel maximam eius partem transmissus per venas & arterias 8. meth. & 1. de sympt. causis 5. nisi impediatur, vt in epiala. 2. de diff. f. cap. 6. Non enim opus est vt febrilis caliditas per* Quæ pars affecta in febri. *totum animal sit effusa 6. de morb. vulg. sat est vel in pluribus partibus vel in nobilissimis accensa, lædens operationes* Febris non est nisi cor præter naturam incalescat, sed non semper primò afficitur. *omnesq; functiones. Neque dicenda est febris, nisi cor præter naturam incalescat, quamuis non semper primò afficitur. Hoc patet in omnium febrium genere. in hectica apud Gal. 10. meth. cap. 8. quando à iocinore, ventriculo incipiat & aliis corporis partibus: interim verò quod afficitur est ipsum cor. Idem constat in febri ephemera 1. de diff. f. cap. 3. & 1. de arte curat. ad Glauc. cap. 3. & 8. meth. med. cap. 1. dum spiritus in ea, qui in ventriculis cordis continentur, accenduntur, præcedente æstu, ira, aliquando ex aliis partibus vt inguinum inflammatione. In putridis febribus, ex humoribus in dextro cordis ventriculo contentis, interim & aliis, qui in omnibus vasis aut in quibusdam putrescunt, aut extra vasa secundum mentem Gal. 1. de diff. feb. & 11. meth. & 3. de præsag. ex puls. cap. 7. Hinc & eius definitio* Febris. *talis esse potest: Febris est intemperies calida præter naturam in corde omnes actiones corporis lædens & ideò mor-* Qualis affectus sit febris, nempe morbus. *bus cordis duntaxat, vt latius apud Argenterium explicatur. Non quidem complexio calida & sicca, vt quidam autumant, tunc enim sequeretur quod complexio biliosa esset febris, quod falsum est. nam febrientes siue pituitosi siue*

sanguinei sint, remanent semper in eadem complexione qua præditi erant. At cùm alij circa febrem dissentiunt, quod ipsa non poßit diuidi in morbum & accidens, licet & Fernelius Symptomaticam febrem admittit, Auicenna & Conciliator diff. 87. tenent, quod febres accidentales, cum mediatè vel immediatè à morbo dependeant: sunt autem morbi cum nullum morbum sequuntur. Præterea cum dicit Galenus febrem esse natiuum calorem in igneum versum, scire oportet quid sit natiuus calor. is duplex quidem est: alter quem idem auctor nunc aëreum nunc sanguineum, nũc verò spiritum vocari scribit, temperatus, non vbiq. sui similis: in aliis enim partibus elaboratior, in aliis minus elaboratus, (quemadmodum & sanguis) existit: omnium naturæ functionum auctor, proinde in nulla corporis parte non continetur, in spatiis quidem inanibus plurimus. Is pro temporum, ætatum, & victus ratione, modò auctior, modò minutior, modò acrior, modò mitior existit. Ventres, inquit Hippocrates, hyeme calidiores, id est, plus cõtinent calidi innati: quod eo tempore cutis spiracula, caloris exhalationẽ prohibeãt, frigore adstricta. Item eodem tempore mitior, æstate verò parcior & acrior: pari modo, pueri plus vernaculi caloris, eiusq; mitioris: iuuenes minus, sed acrioris habent. Sic & qui calido & humido victu vtuntur, maiorem eius portionem, quàm qui sicco & frigido, obtinent. Alterum calorem Galenus virtutum substantiam, aut primarium ipsarum instrumentum esse scribit: hoc est quatuor elementorum, vel eorum primarum qualitatum temperamentum. Cùm enim elementorum substantiæ miscentur, & eorum qualitates misceri necesse est: nihil ergo refert (vt dicebat Acakia in comment. Gal. De arte curat. ad Glauc.) an harum, an illorum temperaturas, caloris substantiam esse dixeris: quanquam qualitatum esse, magis probet Galenus. Ex harum igitur symmetria, vires: ex viribus, proba actio

Natiuus calor duplex.

Primum caloris naturalis genus.

Secundum caloris naturalis genus.

B 5 *nascitur.*

Varia corporis partium temperamẽta.

Secũdi generis naturalis caloris differentiæ.

Calor febrilis in diuersis partibus diuersas gignit febrium differentias.

nascitur. Cùm autem varia sint in corpore partium temperamenta, variæ erunt huius caloris differentiæ: aliæ enim partes solidæ sunt, aliæ humores, aliæ spiritus: quarum cuique suus inest calor.: qui cum se ipso calidior fit, ac velut ignescit, febrem procreat, in spiritu quidem diariam seu ephemeram: in humore verò, si quidem putris sit, putrem; sin putredinis expers synocham: in solidis autem partibus hecticam. Et ita quoq. *calidum duplex est apud medicos: innatum seu naturale, vel acquisitũ, naturale aut igneum. sed in horum interpretatione non est diu inhærendum, cum hæc & à Galeno & Hippocrate tractata fusius, ab aliis multis, vt Fornelio explicantur, & potissimum à Donato ab alto mari par.* 1. *De feb. medend.cap.* 6. 7. 8. 9. *Præter has autem differentias febrium ex materia caloris sumptas,* Hippocrates 6. *De morbis vulgaribus, has quoque ponit, cum dicit: Febres aliæ quidem mordaces sunt manui, aliæ lenes. aliæ verò non quidem mordaces, verùm augescentes; aliæ autem acutæ quidem, sed quæ à manu vincantur. aliæ statim adurentes; aliæ semper debiles siccæ; aliæ salsuginosæ; aliæ inflatæ, horrendi aspectus; aliæ ad manum humectæ; aliæ rubicundæ valdè; aliæ valdè pallidæ; aliæ liuidæ & alia id genus. Sumuntur igitur iuxta* Hippoc. & Gal *lib.*1. *De diff.feb.cap.* 1. *à substantia vel à forma: vt calore scilicet acri siue mordaci, vt putridæ febres: à miti, leni, halituoso, vt ephemera: à sicco & squalido, vt hectica: à statim exurgente, vt increscentes: à manui resistente vel cedente. Vel à materia, in qua, vt subiecto febrilis calor residet, & est vel in spiritibus, & fit ephemera siue diaria (vt dictum est) vel in humoribus, & fit febris putrida: vel in solidis partibus, & fit hectica febris. Suntque hæ maximè principales differentiæ. aliæ verò sunt minus principales, & sumuntur ab accidentibus, vel à modo motus, vt sunt acutæ, peracutæ, diurnæ, erroneæ. vel à coloribus.*

Differentiæ febrium ex Hippoc.

Maximè principales differentiæ febrium.

Minus principales.

loribus, vt ſunt rubidæ, ſcilicet ſanguineæ, vt ſynochus: pallidæ, croceæ, flauæ, vt bilioſæ: liuidæ, quibus ſuccus ſanguineus deficit & calor innatus, ideò lethales: flatibus plenæ, ſiue tumidæ, quidam has ad peſtilentes referunt, alij ad humidas & vaporoſas transferunt: aſpectu graues, Curtius ad peſtilentes eas refert cum ſint aſpectu horribiles ob anthraces: ſalſuginoſæ, Galenus putat textum Hippocratis eſſe corruptum; Curtius, vt textum retineret cum Auicennam De febrib. interpretaretur, intelligit manu mordicantes tanquam in muria eſſent. Non ſumuntur enim tales differentiæ ex his, quæ ipſi laborantes referunt, ſed ex iis quæ medici ipſi ex tactu iudicant. At maximè propriæ ſunt illæ differentiæ vt Gal. refert lib. 1. de diff. feb. cap. 1. quæ à materia in qua calor accenditur, ſumuntur. Cùm igitur ea quæ in ſpiritibus accenditur ſit omnium aliarum febrium ſimpliciſsima, quomodo ea ſit internoſcenda & curanda aliis exemplis doceamus, & præſertim hoc ſequenti, præcedenti non admodùm diſsimili, quamuis ex motu vehementiori hæc ipſa ephemera orta fuerit.

OBSERVATIO II. DE FEBRE ephemera ex motu vehementiore.

AMICVS quidam noſter, ac mihi familiaris, vir raræ texturæ & admodùm bilioſus, ſi vteretur vehementiore motu corporis tum animi, facillimè diariam febrem ſeu ephemeram incurrebat. Hic cùm impenſè ſeſe exercitaſſet, in ephemeram febrem incidit; quod etiam cùm ad eum acceſſiſſem animaduerti: nam cùm cutem ipſam pluſquàm in aliqua alia febrium ephemerarum ſicciorem eſſe perciperem, ex laſſitudine nimia diariam originem ſumpſiſſe cognoui. Ilico igitur amicum quieſcere iuſſi, & ad humecta-

mectationem, syrupum violaceum propinaui, & inclinante febre simul hordei emulsorium dedi, quod hoc modo paratum erat. ℞. hordei optimi ab exteriori cortice repurgati p. j. in aqua pura coquatur quasi ad putrilaginē, deinde pistillo ligneo in mortario lapideo tundatur, cui deinde addas amigd. dulcium in aqua calida infusarum & à cortice exteriori repurgatarum ℥ ij. se. quatuor frigid. maiorum mundatorum ana ℈ j. omnia simul contusa ac mixta cum libra j. eiusdem aquæ hordei adhuc calentis, saccharo albissimo, vt sapor magis delectet, in ea liquato, per setaceum traiiciatur, & sæpius ac fortiter exprimantur & fiat emulsorium vt artis est. ego hordeatum appellare soleo, quamuis hordeatum etiā aliter fiat, vt aliis exemplis docebitur. eoque assumpto, sudore commodè effluente, in somnum placidissimum incidit. die sequenti à febre liberatus, cùm probè aluum per se deposuisset, & crura adhuc lassa ex præcedenti exercitio haberet, vt aqua tepida ea lauaret, & in ea loco balnei, vsque ad femora sederet, mandaui: quibus & hic rectè curatus est, febre nō amplius redeunte.

SCHOLIA.

EPHEMERA *seu Diaria, cùm sit febris simplicissima eaq; breuissima, & placidissima, ac minimè maligna, vt optimè Gal. 1. de rat. curandi ad Glauc. testatur, ab ea primum incipiendum duximus. Primò itaque huius naturam & definitionem excutiemus, deinde quæ sint illius caussæ: nihil enim sciri potest quod non cognoscatur per caussas. Etenim nisi quis ad vnguem memoria teneat, inquit Gal. 8. meth. cap. 1. & quæ caussæ febres generant, & in quo cuiusque corporis affectu: is nunquam methodo febri prospi-*

prospiciet. Tertiò signa adiiciemus. Quartò verò methodum curandi addemus. non quod hic omnia quæ dici possunt dicturi sumus: infinita enim sunt, quæ occurrunt de hoc negotio cogitantibus. Ea tantùm attingemus, quæ magis videbuntur necessaria, quæq; ad explicationem Obseruationum nostrarum & curationum vtilia cognouerimus. quibus ita digestis, non erit difficile aliis, plura sibi aliunde ex probatis auctoribus corrogare. Antequàm igitur ad febris ephemeræ naturam & definitionem accedamus, vnum mihi expediendum, quare ea ita dicatur, vt eiusdem natura melius intelligatur. Inditum autem est huic febrium generi diariæ nomen, à Græcis ἐφήμερος πυρετὸς *appellatur, non siquidem de substantia ipsa, sed conuenienti nomine destituti, inquit Gal.9. method. clarioris simul breuiorisq; doctrinæ gratia, ab eo quod sæpius eis accidit, nomen indidimus. Etenim vt plurimùm necesse est, eas vltra vnum diem non porrigi: appello autem 24. horarum spatium, diem: adeo vt nox quoq; comprehendatur. Quidam à similitudine cuiusdam animalis ephemeri nuncupati, hanc febrem nomen suscepisse asserunt, cuius meminit Aristoteles lib.5. De natura animalium cap.19. Est enim animal volucre, ac quadrupes, à quibusdam veluti folliculis erumpens, quod genus animalium, in postmeridianum vsque diei tempus viuit & volat: mox descendente sole marcescit & languet, deinde occidente moritur, vitam non vltra diem vnum agens. Vnde ephemeron, id est, diarium appellatum est. Hæc febris non pertransit diem vnum nisi error committatur, vt 3.method.med. in principio habetur & 10. eiusdem. desistit enim post primam accessionem, si quis eam rectè tractet, idq; propter naturam in qua subsistit, nempe spiritum, qui facillimè discutitur. Hinc eius natura non solùm patet, sed eiusdem quoque definitio, cum diaria vel ephemera nihil aliud sit quàm calor extraneus vel præ-*

Diaria seu ephemera vnde dicatur.

Febris ephemera seu diaria.

vel præter naturam in spiritibus accensus operationes lædens. ergo spiritus concalfacti in corde, cor etiam afficiunt, quæ huius quoque febris pars affecta est. Affectus quoque eiusdem ad morbum refertur, non ad causam nec symptoma. Corde autem affecto cætera membra incenduntur. Assimilatur autem vento calido à folle fabrili attracto, vt enim ille calefacit follem in quo attrahitur: sic quoque spiritus plus iusto calefacti, vniuersum corpus accendunt. Cùm itaque spiritus corpus simplex est vna tantùm erit diariarum species: humor verò cum multiplex sit multiplicem quoq. constituit differentiam, vti & de febre putrida postea dicemus. Et quanquam diariarum vna sit forma: duplicem tamen medici eam faciunt. Vnam quæ simpliciter & citra adiectionem sic appellatur, de qua nunc agimus. Hæc quidem vnius diei spatium, hoc est, horas viginti quattuor, non excedit: altera est quæ cum adiectione plurium dierum ephemera seu diaria nominatur, de qua postea. Nunc ad causas huius febris progrediamur. oritur ephemera seu diaria, cùm absque vlla putredine spiritus præter naturam incalescit & succenditur, quod multis modis accidit, vt ad longum Galenus 1. ad Glauc. De art. cur. docuit, ex lassitudine, cuius exemplum hic proposuimus, & quamuis ex vehementi fatigatione in musculis, neruis, copulis, & articulis lassitudinis sensus oboritur, non omnis statim fatigatio febrem accendit, sed si paulò vehementior fuerit, quemadmodum ex motu ampliore febris accenditur, ita & hic spiritus concalefacti diariam induxerunt. ex temulentia: vinum enim præsertim calidum si immodicè sumatur, vbi à corpore calorem accepit, feruentem vaporem ad cor transmittit, vnde & spiritus incenduntur & hanc febrem gignunt, quemadmodũ & cibi calidi. ex ira, cũ iracundia sit quasi feruor quidam ac motus vehemẽs irascentis facultatis: ita & ex mœrore, cum in eo reuocati ad suam originem spiritus

Pars affecta. Affectus.

Diaria febris duplex.

Causæ ephemeræ seu diariæ.

ſpiritus ſeſe accendant. ex candeſcentia, furoréue, qui vehemens ira eſt ſpiritus celeriter intrò reuocatos accendit. deinde ex aliis vehementibus animi curis: nam in his ac cogitationibus in cerebrum feruntur, vbi accenſi calorem cordi ſuggerunt, & hanc febrem pariunt. item ob vigilias, cùm vigiles ſenſus nunquam otioſi ſunt, ſed ſemper agunt, eliciuntq́; ſpiritus, qui accenſi febrem producunt, vt ſequẽti exemplo docebimus. ob famem, nam hoc modo ſpiritus inflammantur. ob ardorem, ſolis æſtum: nam ſolis ardor tum inſpiratu tum arteriarum attractu, tum cutis cõtractu, ſpiritus accendit. Si enim cutis hunc diutius patiatur, macreſcit, contrahiturq́;, ita vt effluuium ſupprimatur, atq. ex accidenti, non aliter quàm frigus, febrem gignat. & ita algor quoque hanc febrem inducit: frigus enim cutem claudit, proinde ſolitum effluuium cohibet. ſed hæc omnia per exempla ſubſequentia clariora euadent. Huc etiam ſpectant febres ex bubone mites non autem malæ. de quibus poſtea. Nunc exemplum rurſus proferamus, vt deinde de ſignis tractatio fiat luculentior.

OBSERVATIO III. DE FEBRE ephemera ſeu diaria ex vigilia oborta.

PVELLA quædam focaria ſeu culinaria miniſtra cum apud matrem vetulam valdè ægrotantem vigilando multas noctes inſomnis egiſſet, in febrem diariam ex vigiliis incidit: quod facilè ex ſequentibus ſignis percepi; nam vitioſus color ſeu decoloratio & faciei tumor eam ſubſequebantur, grauiſque oculorum motus: vix enim palpebras attollebat, quibus & humiditas inerat (quæ ſigna etiam à Galeno 1. ad Glauc. cap. 2. referuntur.) Vigiliæ enim, cùm coctionem impediant, humorum & vaporum crudo-

crudorum copiam pariunt (vt etiam de vict. morb. acut.comment.2. textu vltimo habetur:) calorem natiuum imminuunt, corpusque resoluunt. Per vigilias enim cerebrum sensusq. instrumenta (vt rectè Acakia quoque dixit in comment. Gal. ad Glauc.) assiduè exercentur: vnde plus facultatis, & spiritus animalis absumunt: quibus tandem resolutis, & in actiones obeundas insumptis, vitales spiritus antequàm integram elaborationem sunt experti, assiduè alliciunt. In summa, naturam à coquendi munere auocant: quocirca magnam cum in reliquo corpore, tum in cerebro cruditatem relinquunt. Cæterùm fatigatis animalis virtutis instrumentis caput imbecillius redditur: vnde commemorata incommoda sequuntur: nempe cruditas & caloris naturalis imminutio: ex quibus rursus sequuntur decoloratio, tumor faciei, palpebrarum humiditas, earumq. motus grauitas: scilicet resoluta facultate, & vaporis humorisque copia degrauante, pulsus erunt exigui & duriores. hæc cum spectarim vigiliis præcedentibus facilè cognoui, diariam esse: verùm ne in hecticam mutaretur cum febris leniter finiret modo ephemerarum, emulsorium exhibui quod ad somnum conciliandum faceret, hoc modo. ℞. hordei mund. p.j. amigd. dul. depilat. seu excortic. ℥ j. se 4. frig. maior. mund. ana ℈ j. se. papa. albi ʒ j. cum ℥ viij. aquæ lactucæ saccharo violaceo in eo soluto vt artis est fiat emulsorium. hæc loco cibi sumpsit. Postea quoque ad maiorem refrigerationem, & humectationem hoc quoq. iulapium propinauimus. ℞. Sy. viol. Papa. ana ℥ ß. aquæ lactucæ ℥ iij. Cùm optimè quieuisset, à febre liberata est. interim in hac quiete paululum temporis eam detinui: sed ne in putridam quoque febrem laberetur,

beretur, pro alui eductione cum non satis responderet ℥ x. diapruni simplicis in bolum parati, vt deuoraret, mandauimus. quibus deinde bene habuit, vt non opus fuerit eam in balneum deducere.

SCHOLIA.

CVM alia signa sint ephemeram præsagientia, aut eam futuram denuntiant: alia ipsam indicantia: alia prognostica; de his breuiter agemus. Quæ enim futuram præsagiunt, sunt ipsæmet causæ procatarcticæ iam dictæ: vt, lassitudo, mora in sole, exercitium vehemens ac animi motus: si enim eò vsque procedant, quod spiritus inflamment, febrem diariam futuram prænuntiant, idq; magis in corporibus ad hanc febrem magis dispositis: ad quas præ cæteris propensi sunt, qui calido ac sicco sunt corpore, vt biliosi: quamuis & alios noui etiam seniores, qui facilè in eam laberentur, vt noster Hugo Nieuenius medicus Haghanus, qui ex leuissima causa ea corripiebatur, quamuis quiete & leui euacuatione ne in putridam caderet ab eadem facilè curaretur. Signa quæ præsentem adesse indicant, quædam sunt inseparabilia & propria, vt ea quæ ab actionibus læsis videlicet vitalibus sumuntur, nempe à pulsu nullam notam inflammationis habente neque inæqualitatem in vno arteriæ percussu, vel prorsus exilem: pulsum in celeritatem & magnitudinem frequentiamq;, quantum in ipsis est, mutant: exquisitè verò seruant eam, quæ secundum naturam est, æqualitatem, mollitiem & ordinem, & systoles non est celerior. à naturalibus: concoctio in vrina prima statim die apparet. ab accidentibus, cum caliditas tactu suaui percipitur, & quod declinatio desinat cum sudore suaui; iam quoque si præcesserit aliqua euidens occasio, velut iracundia aut id genus alia, certam est eam

Signa quæ futuram ephemeram præsagiunt.

Signa indicātia febrem diariam.

diariam, non putridam febrem esse. & cum calor iucundus sit non incipiunt hæ febres cum frigore aut rigore. quæ singula fusius explicat Gal. lib. 1. ad Glauc. cap. 2. & lib. 1. De diff. feb. cap. 8. *nec non lib. 2.* De crisibus cap. 13. *Neque enim difficile erit per eadem signa confestim in prima die diariam cognoscere ac à cæteris secernere vt Gal. 8. meth. cap. 3. ostendit & 1. De diff. feb. cap. 8. Quamuis idem dixerit curationem huius esse facilem, cognitionem verò difficilem 1. ad Glauc. cap. 2. non quidem intellexit genus hoc febrium, sed eiusdem generis particulares differētias à diuersis causis ortas, quæ inquam requirunt maiorem diligentiam, vt ipse fassus est, licet earundem curatio in promptu sit. Signa verò quibus quæuis diaria cognoscitur particularius, id iam in duobus præcedentibus ostendimus: nam duo illi priores qui ex lassitudine in diariam inciderunt, cutem licciorem habebant: sed hoc quidem omnibus, qui ex lassitudine febricitant, commune est, in eo accessionis tempore, quod vsque ad statum portenditur: at eo tēpore, quod statum sequitur, plurimis quidem, quicunque non supra modum fatigati sunt, humiditates quædam, vel vapor calidus ex profundo attollitur. quibusdam verò in iis, quæ statum subsequuntur temporibus, siccitas remanet: & hoc præcipuè fit in illis, qui supra modum sunt fatigati, vel deusti, vel refrigerati vna cum lassitudine. Pulsus quoq. non eodem modo in vtrisque se habent: parui enim iis, qui supra modum sunt fatigati ob virium imbecillitatem: magni verò aliis sunt: quoniam vires nondum collapsæ. Signa verò eorum qui ex vigiliis febricitant, obseruatione præcedente demonstrauimus. sequenti verò de vstione æstuq; solis dicemus, & quarta obseruatione exemplum diariæ ob curam proferemus, & qualia signa habent qui ob mœrorem hanc febrem incurrunt. At signa diariæ febris ob iram sunt, pulsus magnitudo, & in patiente oculorum nulla cauitas, nul-*

Signa diariæ ob lassitudinem.

Signa diariæ febris ob irā.

laq; faciei decoloratio, sed magis oculi prominere videntur, scilicet delatis illuc spiritibus ipsos distendentibus: nam cum oculi instrumenta sint, quibus persequi hostem velimus, ad eos spiritus feruntur: hac ratione etiam facies non decoloratur, sed rubet, vt in quam spiritus & humor confluat. Signa diariæ ob timorem, & præcipue recentem sunt pulsus celeres, colorq; in facie velut exsanguis: spiritus enim vnà cum sanguine intrò recurrunt: quos natura commota atque vt sibi prouideat solicita modò huc, modò illuc impellit: itaque motu accenduntur: pulsusq; reddunt celeres vrgente euentandi necessitate. at ob inueteratum timorem, quoniam spiritus dissipantur, virtusq; languescit, pulsus sunt parui, languidi & rari. De signis diariæ ob cutis densitatem & bubonem in propriis obseruationibus latius dicemus. At qui ob temulentiam, fame vel alia causa hac febri corripiuntur, ij ad dignotionem nullis notis indigent: de sermonibus enim ægrotantium eiusmodi causæ deprehendi possunt. Prognostica signa sunt quòd facilis est curationis: & qui eam cognouerit (sicuti nos in prima obseruatione & in aliis quibusdam fecimus) statim poterit prædicere diariam vltra diem naturalem non duraturam: est autem de toto genere salubris & breuis. De ea autem Hippocrates 4 lib. aph. 55 sic prædixit: Ex inguinum tumoribus omnes febres malæ, præter ephemeras. vbi calor ephemeræ & omnia accidentia statim minorentur, salubris erit. Non est tamen hæc negligenda quamuis velocis & bonæ terminationis sit, cum soleat propagines malas gignere, & in alias febres transmutari: & licet cito terminentur, non tamen inter morbos acutos reponendæ: carent enim malis accidentibus. Si error contingat in curatione vel per medicum imperitum vel ægrotum, periculum est ne in hecticam transeat, si biliosæ fuerit temperaturæ qui ægrotat. In aliis verò in putridam, maximè cùm apertione meatuum cutis

Signa diariæ ob timorem.

Prognostica.

Gal. comment. 2. aph. 19.

Auicen. *est opus, & non aperiuntur. Cùm declinat febris absque sudore vel rore aliquo, ad aliud genus transire ipsam verendùm est, præcipuè quando declinatio est longa: & symptomata & dolor capitis & huiusmodi non dissoluuntur.* Gal. 8. meth. cap. 5. *Diaria ex cruditate & corruptione ciborum à calido, si aluus lubrica fuerit minus est noxia, sin astringatur grauis est. Non opus est hic signa critica inquirere, quia ephemera non facit crisim: terminatur enim statim leui sudore. At febris ephemera, quæ est ex opilatione venarum & pororum corporis est cognitu atque curatu difficilior, sed ad pleniorem eius cognitionem facit quod hoc genus febrium, non accidit corporibus extenuatis, sed repletis, & ideò tales statim sunt purgandi ne in putridam incidant. Signa permutationis in hanc vel hecticam postea dicemus. Nunc ad exemplum illius qui ex æstu solis diaria correptus fuit.*

OBSERVATIO IIII. DE EPHEMERA EX ÆSTV SOLIS.

SEBASTIANVS Isbrandus Delphius, Proxineta, seu conciliator in contractibus, qui ad forum frumentarium habitabat, si aliquando sub sole versaretur, ilicò capitis dolore afficiebatur. Hic verò cùm inter ambuladum longam sub sole moram traheret, in febrem cum capitis non admodùm graui dolore incidit: ad quem inuisendum cum peruenissem, eum ephemeram pati his subsequentibus indiciis deprehendi. Primò, ex modo originis, cum incepisset à causa externa & primitiua, nempe ab vstione & calfactione solis, quanquam etiam diaria aliqua possit fieri ex causa interna & antecedēte, nempe ab exigua obstructione, quæ potius diem excedit: nam vera ephemera & legitima apud Galenum & Auicennam, habet

habet signum inseparabile, quod à procatarctica causa oriatur. Secundò, à modo inuasionis: quia absque rigore, horrore, frigore & membrorum concussione inceperat. Tertiò, à modo caloris: nam febrilis calor, tactu mitis erat, halituosus absque mordicatione & punctura. quamuis ex ardore solis primo quidē contactu ex nimia siccitate videbatur aliquo modo mordax, at secundo contactu omninò mitis. Quartò, ex lotio: parùm enim à naturali differebat, licet exiguè tinctum, quod potius causa effecit, nempe laboriosa deambulatio in sole: quanquam in eo pendebat nebula, veræ coctionis signum. Quintò, à pulsu, qui vix distabat ab eo, quo tempore sanitatis esse solet, cuius magnitudo stabat. sed diastole, id est deductio siue inspiratio, systole, hoc est compressione, spiratione dicta, maior multò erat: nempe quia aëris multitudine natura ad caloris refrigerationem magis indigebat, quàm fumorum fuliginosorū expulsione, quòd in corpore nulla erat putredinis infectio. Nam in putridis febribus exspiratio inspiratione maior est. Sextò, à forma febris, cùm principium bene toleraret, & leuia essent symptomata: quæ omnia cū Galenus tum Auicenna recensent: quanquam Auicenna & septimum addit signum sumptum à iuuantibus & lædentibus: nempe si balneum ingrediatur æger quod non percipiat horrorem. id signum à Gal. 1. De diff. feb. cap. 7. sumpsit. præter hæc signa hæc aderant, quæ diariam ob vstionem æstumq. solis notant, quòd cutis maximè circa caput siccior & calidior esset, quàm suo contactu solis ardor exsiccauerat ac calefecerat: præterea caput aliquantum vri videbatur propter spiritus accensos: oculi rubebant nonnihil, in quibus non solùm, sed etiam in temporibus, fronte,

& tota facie aliquo modo venæ extendebantur. Hæc cùm in hoc nostro ægrotante viderem, cum dolor etiam versus tempora & frontem vergeret; vnguento rosaceo frigidè vt inungeret mandaui, oleóque rosaceo omphacino sine sale cõfecto capiti infundebam. Aëtius lib.5.cap.60.oleum gelida aqua aspersum, aut in vase in puteo suspenso vt aquam attingat, aut extimo vase niue illito, & ita algefactum deinceps lana excipiens ac suspensa in sublime manu exprimendo sincipiti instillat, idque incessanter ad febris vsq. declinationem. postea dulcium & temperatarum aquarum lauacra admouet, ita vt aëris balnei transitum tantùm concedat. sed de his latius in scholia. Nos autem fronti oxirhodinum ex oleo rosaceo, aqua rosacea & pauco rosaceo aceto mixtum panno inculcato sæpius frigidè admouimus, quibus dolor capitis cessauit & febris non amplius rediit. Similem casum narrat doctissimus Amatus centur.3. curat. 99. cuius caput iisdem perfundi fecit, ac lactucam coctã oxeleo & salis mica resperſam pro cibo dedit, & in potu frigidam iulebo violaceo mixtam: deinde sequenti die febre inclinante eundem ad balneum ex rosf. vitis, foliis lactucis, nymphea & similibus confectum duxit, quo maximè delectabatur æger & tandem sanus euasit. At noster æger supradictis remediis tantùm vsus, balneo opus non habuit, cum tempus frigidum vtcumque esset, & balneum abhorreret.

SCHOLIA.

Diariæ febres facillimè curantur quib. & balneum cõmodissimũ est.

DIARIÆ febres, cum communem habeant generationem, quantum ad ipsas attinet, communem quoque curationem recipiunt, & ideò harum omnium curatio

ratio facillima ac in promptu est, cum omnes balneis curentur Gal. teste lib. 1. De arte curat. ad Glauc. cap. 2. etiam alimento boni succi & humido. multi harum curationem particularem non ponunt, eò quod medici rarissimè ad has febres curandas vocentur & ideo iuniores remittunt medicos ad Gal. 8. & 10. meth. & 1. De arte curat. ad Glauc. & 2. De crisibus cap. 13. & ad lib. 5. Aët. cap. 58. 59. 60. 61. vsque ad cap. 66. & ad lib. 12. Tralliani cap. 1. in quibus locis particularis curatio habetur. Nos tamen noluimus etiam harum curationem præterire, cum facilè in alias febres mutentur: nam licet hæ febres teste Gal. 1. ad Glauc. facillimè solui possunt, si ad balneas aliamq; vsitatam viuendi rationem ægrotum statim ducant, earum curatio non est negligenda, cum non minus & illi delinquunt, qui multorum sermone celebratam illam diatriton apud veteres, id est, triduanam inediam, in omnibus iis admittunt: febres reddunt sæpè acriores, quemadmodum ex ipsis videre est non paucos, qui quoties ægrotos inuisunt, ita aberrant, vt certè manu factas ægritudines inducant. Ideò de curatione vniuersali harum febrium primo quædam adferemus, deinde curationem particularem adiiciemus. Quòd ad indicationes attinet curandi, quæ cum à febre, à causa, & viribus sumuntur, quid hic in ephemera sit agendum, à febre hic quidem, rarius à causa & viribus capiuntur. ideò Gal. 10. method. 1. refrigerationem & humectationẽ præponit: vires verò plerumq; robustæ sunt in hac febre vt 8. meth. vlt. & sic vires per se primo in ephemera non indicant, sed ex accidente, & ideo sunt coindicantes: vbi verò imbecilles, quod hic raro contingit, tunc propriæ sunt indicantes: cùm hic causæ procatarcticæ sunt, quæ cum abierunt, ab ipsis propriè non fit indicatio: sed vbi causam antecedentem habeat, vt aliquando fieri potest in aliqua ephemera, non propriè dicta, etiam

Diatritos febri inutilis.

Indicationes curãdi ephemeram.

sumitur indicatio ab ipsa causa. Et licet hic à causa procatarctica non sumatur indicatio cum abierit, tamen iis, qui à tristitia ephemera afficiuntur, consulendum vt sint læti: & qui ex nimio exercitio, vt quiescant: ex vigilia verò, vt dormiant, remouentes scilicet causas ipsas, si adsint, per contraria. Et quanquam febri potißimum sit prospiciendum, tamen vt Paulus admonebat lib. 2. cap. 15. & Aëtius loco citato, ratione causarum remedia tum victus ratio sunt varianda. Curandi igitur ratio diariæ febris, & victu & balneo perficitur. de victu prius dicemus. Victus autem sit in vniuersum ex cibis boni succi & facilis concoctionis, ac distributioni idoneis. cibi igitur qui conueniunt sunt ptisana, alica cum pauco aceto, vt quidam laudant, non crassa: pisces saxatiles, vel si desint, in ostiis fluminum, & alios possumus dare, quos enumerat Gal. 8. meth. conuenit & panis in furno coctus. vel aliis vtemur præter passeres, pullos gallinaceos, phasianos, secundum diuersas causas: nam ob vigiliam, tristitiam, curas ingentes febre diaria laborantes, requirunt cibos humectantes paritérque somnum conciliantes. Vinum sed aquosum in omni febre ephemera conuenit, teste Gal. 8. meth. 3. in corpore calido & sicco cum illis conditionibus quas enumerat Gal. 8. method. 2. si sit debilis etiam in principio acceßionis dabimus panem maceratum cum vino, alioqui post balneum dandus cibus, vt 1. ad Glauc. in fine verò vt antea dictum est excretiones expellat. à siccitate vinum largius concedendum vt vires recreentur nisi caput doleat: nam cum magna vis spirituum sit exhausta, facillimè ac celerrimè vino reparatur. Qui ob iracundiam, & solis vstionem hac febre corripiuntur, cibi humectantes & refrigerantes dentur, sed à vino penitus abstineant, quoad perturbatio & capitis dolor, si adfuerit, quiescant: in his enim spiritus & sanguis admodum feruet. Qui ob laßitudinem febrem contraxerunt,

Quomodo diaria febris victu curatur.

tunt, iis tantum cibi permittendum, quantum concoquere possunt, semper enim vitanda cruditas est: vino parcè refocillandi: labore enim dißipata corporis substantia, victu vberiore, & concoctu facilè reparanda est. modus autem sumendi cibi viribus, ætate, naturali temperamento, ægrotantis consuetudine, anni constitutione, & regione metiri debet: nam qui corporis temperatura sunt calidiori, & sicciori, hos in primò statim accesionis insultu cibare oportet: quod si secus fiat, ocyßime ex diaria in ardentem febrem incidunt. Qui ob frigus & adstrictionem ephemeram patiuntur, iis cibos minus nutrientes & moderatè calefacientes dabimus: & nisi plenitudine laborent, aut vehementer cutis sit astricta, à vino minimè abstinere debent. Qui ob adenum inflammationē diaria laborant, tenuiter sunt alendi, vt in quibus substantia corporis deperdita non est: vinum autem iis denegandum, non tam quod febri sit inutile, quàm quòd bubonis curationem remoretur: auget enim humorum in laborantem locum defluxum, proinde & inflammationem, quâ ratione & febrem. sed hæc omnia clariora euadent exemplis infrascriptis. De curatione per balneum mox adiiciemus, hoc prius interposito exemplo, de febre ephemera ex sollicitudine cum ventris constipatione, curata.

OBSERVATIO V. DE EPHEMERA ex sollicitudine cum ventris constipatione.

NOBILIS domicella, vxor Iodoci Weruij Baliui Brielensis, matrona certè proba, cum maritus eius tertiana intermittente laboraret, ad quem curandum anno Domini 1565. mense Octobri euocatus eram: quæ tertiana commodis per me adhibitis remediis curata, ex nostra prædictione licet septima

 periodo

periodo finiret, vxor tamen nimium sollicita & anxia de morbo mariti, quamuis nihil periculi adesse ab initio proposuissem, ex nimia cura & sollicitudine in febrem ephemeram incidit. Sed hæc valdè succulenta, quod ad signa huius febris attinet vix maciē contraxerat, cum & oculi ex natura eminentes humidiores in hac muliere annorum 24. minus cōcaui erant. Nam & corporis macies, teste Gal. 1. ad Glauc. in his quos mœror, quàm quos cura confecit manifestior conspicitur: nam in mœrore intrò reuocantur spiritus, vbi ob loci caliditatem accenduntur, & discutiuntur, humorque in vapores dissipatur: vnde temporis spatio corpus exsiccatur, emaciaturque: in curis verò, ac cogitationibus spiritus ad caput tendunt, in quo minus ob caloris penuriam, quàm in interno corpore absumuntur: proinde affectos non ita extenuant, ac exsiccant: pariter cauitas & ariditas oculorum in curis, & cogitationibus minor, in mœstitia maior ob prædictam causam apparet. Insueta quoq. decoloratio quædam hos affectus sequitur, scilicet cute ipsa natiuo calore destituta. His vtrisque pulsus parui sunt. quæ cum in hac matrona animaduerterem, vt benè speraret iussi, quod hæc febricula viginti quatuor horas non excederet. febre autem in halitum vaporosumque sudorem & suauem desinente, in declinatione lactucam in iure pulli coctam dedi, & hordeatum cum amigdalis dulcibus & se. quatuor frig. maioribus excorticatis exiguo sac. adiecto concinnatis. & statim à febre sequenti die cum aluum constipatam haberet ℥ j. ellectuarij lenitiui in bolo exhibui. quo probè aluum deposuit. cuius hæc erat descriptio. ℞ passul. enucleat. ℥ ij. adianthi nigri, id est, capilli ven. veri; folior. viol. hordei mundati ana m. j.
iuiubar.

iuiubar. sebestem ana numero xx. glyciri. ℥ ß. prunos enucleat. Thamarind. ana ℥ vj. sene polipodij ana ℥ ij. mercurial. m j. ß. decoquātur secund. artem in s. aqua, cola, & in colatura dissolue pulpæ cassiæ Thamarind. pulpæ prun. zach. optimi zach. violati ana ℥ vj. pul. sene ℥ iij. ʒ iij. ß. confice vt artis est. Cùm ter quaterve aluum deiecisset ex bolo suprascripto, loco balnei vt crura lauaret concessi, cum aqua tepida; interim etiam quietem imperaui, & ita victu humectante & refrigerante vtens tum vino tenui & aquoso, amplius non febricitauit.

SCHOLIA.

CVM *in autumno essemus, balneo hic non vsi fuimus, contenti sola crurium lotione. Cæterùm curatio per balneum (vt habemus à Galeno) sic perficitur. videlicet omnes, qui diaria febricitant, in prima accessionis inclinatione in balneum ducendi sunt: non omnes tamen eodem modo, nec eisdem balnei partibus vti debent: nam si ex cutis densitate, aut bubonibus febricitantes in balnei aëre immorari iusseris haudquaquam lædes: tum quòd cutim rarefacies, tum etiam vapor è corpore foras elicietur. Qui autem ex lassitudinibus, vigiliis, curis, animi affectibus seu perturbationibus febricitant: cum iam propter eiusmodi causas resiccatum sit corpus, ab aëre balnei arcendi sunt: ne noxam augeant. Igitur in balneo aquarum dulcium diutius versari possunt, vt amissam humiditatem eius madore resarciāt, postea verò copioso oleo tepido cui nihil adstrictionis insit, mollibus manibus fricari debent: hæc enim frictio humectat, laxat, solidas partes emollit, & quæ in corporis meatibus detinentur, discutit. licet hæc conueniant defatigatis, teste Alexand. Tralliano lib. 12. cap. 1. &* [Quomodo per balneum diaria curetur.]

natura

natura edocti ægri ipsi ad lauacra descendunt, quódque etiam medici quidam inconsideratè faciunt, vnde non paucos insigniter offendunt, si corpus non sit recrementis vacuum, ac succis vitiosis scatet: ea prius consideranda sunt, tunc in balneo si hæc desunt, ex lassitudine laborantes aqua tepida perluunt, & hydræleo perungit. At vsti crebris balneis aquæ dulcis, solaq́ exigui olei perfusione citra frictionem sunt contenti. Qui verò ob famem diaria laborant pariter inclinante accessione, ad balneum ducendi sunt, plurimoq́ oleo dulci ac tepido perfusi, molliterq́ perfricati, diutius in calidi solij aqua continendi, vt scilicet siccitas, quam fames corpori conciliauit, balnei & olei humiditate corrigatur. vbi à balneo egressi fuerint, vires cibis conuenientibus reficiendæ. Qui autem ob frigus diariam patiuntur, hos balneum in accessionis remissione ingredi iubeto: capuitq́ ante & post balneum irino & nardino oleo aut simili illine: calefacientibus enim & constipationem remouentibus medicamentis indigent, qui hac de causa febricitant. Qui ob cruditatem prædicta febri affecti sunt, teste Gal. 8. meth. cap. 5. si aluus lubrica fuerit, & ea tantùm, quæ corrupta, vacuata esse videbuntur, in remissione febris lauentur, & nutriantur, habita tamen prius ventriculi ratione: sin ita copiosa inanitio, aut prius facta sit; satius est (omissa lauatione) cibare, respicientes semper ad ea, quæ sunt circa ventriculum, irrigando ipsum ex oleo absynthino, masticino, citoniorum, vel similibus vim corroborandi habentibus. Si autem venter omninò adstrictus est, contrectatis hypochondriis, mox toto ventre; considerandum an cibi in gracile intestinum, aut colon descenderint: quo explorato, iubendus, vt decliui facie ac ventriculo æger recumbat, ventremq́ foueat: & somnus concilietur: is enim mirificè cruditatem concoquit. post somnum ad educenda alui excrementa glans supponatur, aut leui clystere

aluus

aluus moueatur. Quòd si alimenta adhuc in ventriculo persistant, conetur æger, plurima aqua tepida epota, immisso digito, aut penna, totum quod infectat, aut grauat, euomere. plura de his vide apud Alexandrum Trallianum *lib. 12. cap. 1. vbi hæc ipsa multò fusius tractantur.*

OBSERVATIO VI. DE DIARIA SEV EPHEMERA IN PVERPERA cum dextræ mamillæ phlegmone.

ARNOLDA mulier si quæ altera admodùm procera, iuuencula satis succulenta, viginti duorum annorum nata, vxor Petri Bartholdi cereuisiarij seu ceruisiæ coctoris, cui insigne Delphis super dolia cantharus erat, primipara peperit masculum & optimè in partu purgata fuit: eius tamen dextra mamilla, cùm tres septimanæ à partu transierant, nonnihil intumuit, rubore quodam leui tincta, tumorque parùm calidus sentiebatur cùm duritie quadam renitente, & dolore: qui licet non esset vehemés, ex eo tamen febre ephemera correpta est. Ad hanc statim accitus paulò post æquinoctium vernum anno 1562. cùm huic caput nonnihil doleret & venter astrictus esset febre cum madore desinente, ne in putridam febrem caderet propter inflammationem, quæ leuis erat, sequens medicamentum propinaui ℞ folior. senæ ℥ ij. ſe. anisi ℥ ß. ebulliant in ℥ v. decoct. communis & fortiss. express. adde diapruni simplicis elect. lenitiui ana ℥ iij. syrupi ex multiplici infus. ros. ℥ j. mis. & fiat haustus. ex quo cùm varia & biliosa quædam deiecisset, febris amplius non rediit. mamillæ verò ne phlegmone aut inflammatio augeretur, pulticulam ex pane siligineo albissimo contrito, cor-

to, cortice ablato in lacte bubulo cocto (cui olei violacei rosſ. & amigd. dulc. exigua quantitas admixta erat, tum ℈ j ß. croci triti) apposui. quibus dolor, rubedo ac inflammatio, tumorque euanuere, nec absceſſum passa, puerum deinde cum bene lactaret, postea optimè se habuit.

SCHOLIA.

SICVTI *febres ex bubone fieri possunt ephemeræ, vt antea dictum est, ex causis euidentibus, vt in locis adenibus refertis, vt in inguine, alis, vel circa aures, modo eiusmodi inflammationes mites sint absque vlcere vt Galenus testatur lib. 1. ad Glauc. ita etiam hic ex mammilla inflammata, cum caro eius sit adenibus referta, & venas multas habeat & arterias, diaria suboriri potuit, spiritibus in iis accensis. At ephemeræ quæ ita fiunt mites omninò sunt, vbi bubones orti ex causis euidentibus tales febres pariunt, omninò periculo vacant. Sed vbi bubones fiunt à delitescente intus causa vt viscerum inflammationibus, humorum vel malignitate vel plenitudine, sæpeq; ex pestilenti humore: vnde certum est ortas ex his febres, mala suspicione non vacare, præcipuè pestilentes: quæ toto genere perniciosæ (de quibus suo loco dicemus) quemadmodum & quæ ex viscerum inflammationibus nascuntur. Ex corporis autem plenitudine, & malo humore, curatu quidem difficiles sunt: sed quàm hæ minus periculosæ. At signa ephemerarum: quæ ex bubone contrahuntur, sunt pulsus maximi, celeres ac crebri: calorq; multus, & à vigore statim humor quidā ex alto corpore ad cutim fertur calidus, sed tamen suauis. Eiusmodi febres omnium minimè acres mordacesq; sunt: in his facies omninò rubicunda ac tumidiuscula, subalbidæq; vrinæ apparent. Quod ad curationem huius febris attinet ea explicatur ab Aetio lib. 5. cap. 66. &*

Febres ex bubone.

Febres ex bubone quæ malæ.

Signa diariæ ex bubone.

quanquam propriè nec venæ sectio neque euacuantia in febribus ephemeris propriè dictis conueniant, sed sola alterantia, attamen Aetius in hac febre sectionem venæ præscribit, si adsit plenitudo, & tenui victu vitur vsque ad salutem: inguini ante phlebotomiam astringentia repellentiaque applicat, posteà quæ relaxant ac per halitum digerunt: arcendi autem omnes à vino qui ob bubones febricitant, tenuisq. victus adhibendus, quousque liberentur. Declinante exacerbatione eos lauat: quæ omnia à Galeno 1. ad Glauc. accepit. Sed quod ad alterantia attinet, ea ipsa sunt in duplici differentia, aliqua, quibus intrinsecus vtimur. Auicenna frigidam aquam dat: præstat potius apud nos ptisanam insulsam ex aqua hordei & glycyrrizæ coctam dare, vel tenuissimam nostram ceruisiam. sed de potu gelidæ aliàs latius dicemus. alia verò extrinsecus adhibentur, vt balneum, frictiones, inunctiones. eadem de balneis dicit Auic. quæ Gal. 8. meth. 2. & 1. ad Glauc. 2. & 3. Balnea neque in Italia, neque apud nos ita in vsu sunt, quanuis Curtius suo tempore in vsum reuocare studebat cum Auicennam de feb. ephemeris interpretaretur. Erant autem balnei (vt habetur 10. meth. cap. 10.) partes quatuor. prima erat aër balnei: secunda solium calidæ aquæ: tertia solium frigidæ: quarta in qua sudores detergentur. Videamus ergo quomodo hæ partes in ephemera conueniant. At hoc scire non possumus, nisi vim illarum partium ad vnguem teneamus. Primò quo ad aërem balnei, per quem calidum aërem intelligimus, qui etiam vsq adeo calidus esse debet vt sudor euocetur. Per solium calidum vt 3. De sanit. tuend. cap. 4. tribus modis intelligimus. Primò vt aqua sit insigniter calida; secundò vt sit tepida & habeat remissam quandam caliditatem. Tertiò vt mediocrem caliditatem consequatur, mediam, inter intensam & tepidam seu remissam. Cùm triplex sit hæc caliditas, quænam debet esse in secunda parte balnei?

Curatio febricitantium ob bubones.

Datur aqua frigida potissimum in ephemera, in qua timetur quòd in hecticam vel ardentẽ mutaret sese.

Tria præcipua extrinseca remedia in ephemera, balneum, frictio, vnctio.

Balnei partes.

balnei? Debet autem esse illa caliditas media, non insignis: nam præter id, quod plus æquo calefacit, poros etiam coarctat. neque debet esse remissa, quia refrigerat & humectat. Dicebat autem Gal. 10. meth. cap. 10. solium calidæ calefacere & humectare: aqua verò remissæ calidæ refrigerare & humectare: ideò necesse est quòd de medio loquatur calore. Tertia pars balnei est solium frig. Gal. 3. De tuenda san. cap. 4. ait aquam frigidam tribus modis intelligi posse: vel enim est aqua frigidior, veluti est aqua glacialis, vel est aqua in qua minimum est frigoris, veluti est aqua illa quæ exponitur soli, ita vt teporem aliquem acquirat, vel est aqua frigida medio quodam modo. Cùm triplex sit hæc frigiditas in aqua, quæ aqua est illa, quæ constituitur tertia pars balnei? ex Galeno hæc ipsa non debet esse aqua frigidissima, quoniam calorem natiuum extinguéret, & constiparet nimis validè: neque debet esse remissè frigida: quoniam cum vtamur nos solio frigidæ vt propulsetur calor ad interiora, & fiat concentratio (sic dicente Caputuacceo medico apud Italos nunc celeberrimo) aqua cum illa remissa frigiditate non potest hoc efficere, ergo media inter has est eligenda. Quo ad partem quartam balnei est illa, in qua detergetur sudor, & corpus secundum exteriorem partem mundum redditur, & in qua fiunt inunctiones ad claudendos poros. His partibus ita constitutis, videamus, quónam modo balneum in ephemera conueniat. Nam quantum ad primam partem ex sententia Galeni locis citatis aër balnei conuenit in ephemera ex densitate, ex bubone: quia fit illa apertio pororum, & euacuatio ad exteriora. in reliquis verò ephemeris non conuenit prima pars balnei. Et ideò præcipiebat Gal. vt quàm primum deducerentur ad secundam partem balnei. vnde secūda pars balnei conuenit in qualibet ephemera: nam habet vim humectandi, & ratione caliditatis moderatæ habet etiam vim remit-

remittendi calorem febrilem. Quòd verò ad tertiam partem balnei, conuenit in quacunque ephemera, præterquàm ex densitate: quia in illa non est periculum vt calor nimium euocetur, ideò non licet vti solio frigidæ. Quarta pars balnei locum habet in quacunque ephemera. iure merito ergo dictum fuit balneum in ephemera concedi. Hoc autem intelligendum de ephemera in quantum ephemera sit. nam ratione alicuius annexi cogimur à balneo desistere. Si fuerit ephemera ex obstructione, non debemus vti balneo. nam ratione balnei materia magis commoueretur, & agitata, obstructiones vehementiores efficeret. Nec conuenit in ephemera ex cruditate, ex nausea, ex satietate: quoniam per balneum crudi humores existentes in primis viis deducerentur in maiores venas, & in ambitum totius. Nec prodest in ephemera cum fluore alui: quia vi balnei materia quæ deuenit ad aluum retrahetur ad ambitum totius & fieret putrida febris. ideò neque in prima obseruatione balneo vsi sumus, cum ter in ipsa febre aluum deposuerat æger. nec balneum cõuenit in ephemera cum catherro, modò non sit catherrus acris: nam vbi catherrus frigidus & crassus attrahitur huiusmodi materia vi balnei ad ambitum totius, & non potest euacuari, vnde putredo fieret. Quòd si catherrus fuerit calidus, balneum moderatur calorem & feruorem catherri, imò etiam euacuat materiam illam per poros cutis. Excluditur denique balneum ab ephemera cum difficili tolerantia. Quòd verò ad frictiones pertinet, ex sententia Gal. 1. ad Glauc. cap. 3. in ephemera conueniunt ex labore, ex densitate cutis, ex bubone. Sed sciendum asperam habere vim densandi & exsiccandi cutem: mollem aperiendi & laxandi: breuem verò vim aperiendi, modicè aperiendi si mollis: modicè condensandi, si aspera. Istis sic habentibus, in ephemera ex labore cum corpus inanitum & exsiccatum sit, egemus maxima humectatione,

Balneum iuxta Auic. 4. can. cap. 9. non cõuenit in quatuor casibus: primo, cum timetur de casu putredinis: secundo, cum adest obstructio ex humorib. crassis: tertio, cũ adest satietas nauseatiua: quarto, cũ adest catherrus.

Frictiones.

D idq;

idq́, beneficio aquæ calidæ: hæc aqua enim magis humectat quantò magis penetrat: eò magis penetrat, quantò pori laxiores & apertiores redduntur, quod fit beneficio frictionis & mollis & longæ. In ephemera ex densitate egemus frictione & molli & longa, sed non ita longa vt in ephemera ex labore: quia non habemus illam exsiccationem, sed adest densitas, & hi pori sunt aperiendi. In ephemera verò ex bubone, egemus adhuc vt materia euocetur, frictione & longa & molli, vt aperiantur pori, sed adhuc minus longa: quia non egemus humectatione sicut in ephemera ex labore. Addebat Galenus frictionem esse peragendam manibus cum oleo laxante inunctis, vt superius dictum est. Interim & hoc in frictionibus obseruandum, quod in ephemera ex densitate, conueniant frictiones & in prima balnei parte, & in secunda. ex labore in secunda parte balnei tantùm.

Vnctiones. *At Vnctiones sunt duplices quæ in balneo fiunt, & in vna ephemera conuenit & in altera nequaquam. Et primo modo consideratur inunctio quæ fit cum fiunt frictiones scilicet cum manibus inunctis, & huiusmodi inunctio conuenit in qualibet ephemera, neque est periculum vt ratione viscositatis olei obturentur pori aut meatus, hoc enim prohibet frictio; & fit hæc frictio modò in prima parte balnei, modò in secunda. Secundo autem modo consideratur inunctio quæ fit in quarta parte balnei post detersionem sudoris, & hæc inunctio solùm conuenit in ea ephemera, in qua timemus ne spiritus resoluantur & vires concidant ob nimiam apertionem pororum. Vnde solent commẽdare non solùm oleum amigd. dul. sed etiam rosaceum & violaceum: vt ratione frigiditatis & stipticitatis magis claudantur & firmentur pori cutis. Hinc si ephemera fuerit ex densitate cum Gal. conuenit frictio manibus inunctis oleo tantùm, non astringente. Et in eadem verò ephemera ex densitate nequaquam vtilis est inunctio quæ fit in quarta parte balnei, quo-*

niam

niam nostrum institutum non est vt claudantur pori. Sed si fuerit ephemera ex labore, conuenit vtraque inunctio.

OBSERVATIO VII. DE DIARIA seu ephemera mutata in hecticam lethalem.

VVINIVS (ita enim eius cognomen erat) Palangarius, siue Phalangarius, qui teretibus fustibus (teste Vitruuio) onera transfert, cuiusmodi genus hominum est (vti Hadrianus Iunius amicus noster, medicus & vir doctus in Nomenclaturis suis annotauit) qui dolia cereuisiaria apud nos deportant; hic cum in crure abscessum haberet, & malè à chirurgo tractaretur, & incisio secundo fieret, cum primum vulnus non satis amplum esset, ex intensissimo dolore incidit in febrem ephemeram, à qua cum nostra industria anno 1571. mense Nouembri euasisset, nec amplius febricitare videretur, post aliquot dies cum iterum chirurgus ad ampliandum vulnus causticum apponeret medicamẽtum, rursus in diariam incidit, quæ statim ad hecticam permutata est, quæ aliquo tempore simplex spectabatur, cui tandem & febris putrida adiuncta est. Quanquam variis & aptis remediis vteremur, ex longo abscessu cruris, quod malum semper in peius vergeret, tandem viribus exhaustis & paulatim toto corpore colliquescente ad cachexiam deuenit, vt deinde multos mẽses decumberet; & postremo fluxu ventris oborto expirauit.

SCHOLIA.

CAVSÆ *externæ leuiores, quæ ephemeram gignunt, eædem si vehementiores fuerint, hecticam febrem inducunt: ideò non fuit mirum quod in corpore bilioso ex-*

ſangui, dolor intentiſsimus & cauſticum medicamentum, ſanguine ad partem dolentem prius vnà cum calore confluente primò ſpiritus incenderint; deinde ſolidas partes inuaſerint, vnde ephemera oborta, etiam in hecticam trāſmutata eſt. Nam cùm hæc diaria, vltra ſtatutum tempus perduraret, eius permutationem in hecticam verebar. vbi enim diutius durat quàm par eſt, in hecticam vel putridam tranſit. Eſtq; hoc præcipuum ſignum permutationis in alias febres, quod ſine ſudore declinet: vel ſi æger ſudauerit, tamen ex integro non deſinat febris. nam & pulſus reliquias febris oſtendet, dolorq; capitis, tum alia ſigna, cum vltra diem naturalem ægro adhæſerint. Sed Auicenna antequàm de ſignis permutationis aget, præponit aliquas cauſas ad hanc permutationem iuuantes. ex parte medicorum ſi in curatione hallucinentur: ita hic Chirurgus cum nimium cauſticis & adurentibus medicamentis vteretur in corpore ſicco & exſangui, in hecticam procliui, non erat mirum quod in hecticam fuerit permutata. ex parte ægrotantis, quod cum nō bene obediat vel aliquem errorem committat, vel eius corpus ſit macilentum bilioſum hecticæ valdè obnoxium. Et cum iſtæ cauſæ (licet plures eſſe poſſunt) ad duas tantùm referri poterunt: ad cibum ſcilicet, & medicamentum. Quo ad cibum, error poteſt eſſe vel in defectu, vel in exceſſu. In defectu, ſi corpus ſit inanitum & exſiccatum, bilioſum, fame conſumptum, ieiuniis maceratum. Tales ad hecticam inclinati ſunt, potiſsimum ſi & cibis calidis exſiccantibus, & exercitiis vehementioribus vtantur, quemadmodum hic Palangarius, nam inopia potius laborabat, quàm affluentia. Exceſſu verò, ſi corpus plethoricum, carnoſum, ad ſynochum & putridam tranſit: maximè verò in putridam ſi cibus excedat. Ex parte medicamenti error fieri conſueuit, ſi corpus non ſatis humectetur per medicum tam medicamentis humectātibus, quàm victu

Signum permutationis diariæ in alias febres.

in hecti-

in hecticam transit. vel si medici vtuntur medicamẽtis adstringentibus, vel ab aperiẽtibus desistunt: nam dùm vtuntur medicamentis adstringentibus, fiunt constipationes, accedit prohibita transpiratio, vnde fit putredo, & meritò in putridam degenerat: neque hanc permutationem difficilè est cognoscere. Si enim transeat diaria vltra diem naturalem, vel si ephemeræ non statim succurratur (rarißimè etiam medicus ad diarias curandas vocatur) & calor eius augmentetur, & vrina tingatur sine signis digestionis, si malè olet, perseuerans cum corporis fœtore, ac aliarum rerum exeuntium, pulsusq́; fiat diuersus, ac diastole minuatur, systole verò augeatur, & corpus sit cacochymũ, quarto vel quinto die in periculosam putridam febrem permutabitur. Si quoque diem naturalem excedat, fueritq́; febris vniformis, calor intensior post cibi assumptionem, pulsus durus ac paruus & æqualis in hecticam transibit. magis autem si corpus ad eiusmodi febres aptum fuerit: quale est macilentum, inanitum, biliosum & exsiccatum. Plurimùm etiam ad hoc iuuant causæ procatarcticæ, si ab ira, mœrore, tristitia, sollicitudine, dolore, laßitudine, vigiliis, fame, diaria ortum habuerit. Ita non mirum fuit, quod hic æger hecticam incurrerit, prius ex dolore, ex abscessu etiam antequàm incisio fieret, non vtens opera medicorum, vigiliis ob dolorem intensißimum & diuturnum consumptus, etiam fame laborans cum pauper esset, neque etiam bonis cibis vti potuit, quanquam à suo cereuisiario quædam alimenta subinde administrabantur: medicamenta quoque in eiusmodi corpore minus iuuarunt. Solet etiam transferri aliquando in sanguineam febrem vel synochum in corporibus humidis & calidis, in quibus est inflatio faciei, rubedo, tumor inconsuetus, pulsusq́; plenus. Cùm etiam hæc ipsa diaria, vt experientia obseruauimus, aliquandò ex catherro etiam in peripneumoniam & anginam transit periculo-

Quando in putridã diaria transit.

Quando in hecticam.

Diaria quando transit ad sanguineam & synochum febrem.

ſam, ideò peßimè faciunt medici qui eam negligunt modò ad tales in principio vocentur, quamuis non minus peccant ægri, qui medicum ad hanc febrem curandam ſtatim non accerſunt. Ideò ſi tyrones ad tales febres curandas vocentur, earum curationes minimè negligendas eſſe duximus.

OBSERVATIO VIII. DE EPHEMERA SEV DIARIA EX FRIGORE condenſante poros cutis orta.

AD 19. diem Octob. anno Domini 1563. cum ad domicellam Iuniorem Kerchirecticam, tertiana intermittente, laborantem, in Brielam vltra Moſam flumen, maris oſtium, quo Oceanus ingreditur, euocatus eſſem, tempusque frigidum, horridum, & ventoſum eſſet, ex intempeſtiuo frigore poros cutis condenſante, ipſemet in diariam febrem incidi. Inuaſerat autem febris circa vndecimam horam meridiei, ſine horrore & rigore, ſed frigore quaſi muſculos & cutim inuadente. Sed cum ignem in cubiculo ſatis luculentum famulus meus conſtruxiſſet, atque me circa eum collocaſſem, iam quaſi calefactus, pulſus tunc paulo velocior apparebat, ſed æqualis, nulla ſiti me premente. Circa quartam deinde horam poſt meridiem mitius habere cœpi, madore quodammodò per cutem erumpente. Cùm toto die nihil edulij ſumpſiſſem ſorbitiunculam valdè exiguam ceruiſiæ, cui paucum panis incoctum erat, ſaccharo iniecto & butyro valdè exiguo, ſumpſi. hora ſexta lectum calefactum intraui, veſtibus mediocriter tectus, & ſudor promanare cœpit, poſt duas tamen horas circa os ventriculi dolens ferè animi deliquium incurreram, ſed ſumpto exiguo ſaccharo per-

lato

lato ad me redij & dolor seu potius angustia euanuit. Deinde cum in somnum suauissimum incidissem, totam noctem dormiui, deinde sudor veluti vapor quidam copiosus ex imo corpore exhalauit. Mane experrectus, cum me omninò à febre liberatum sentirem, sudorem detergendum iussi per famulum, prius facta frictione molli & longa ad meatus aperiendos. Interim (domicella nūc satis curata) domum reuersus sum eodem die vestibus vndique munitus, & cùm adhuc ieiunus essem, neque illo die probè aluū exonerassem nisi stercora dura, ne diaria in putridam febrem ob meatuum ex frigore condensationem transiret aut in tertianam aut quartanam intermittentem, drachmas ferè decem ellectuarij lenitiui in bolo zach. asperso deuoraui ad primam horam meridiei, cum domum rediissem; deinde circa tertiam ferè horam (cum in assumptione medicamentorum lentorum non diu sit ieiunandum) rursus panatellam seu ceruisiariam sorbitiunculam sumpsi, & aluus deinde quinquies hoc die soluta est, cum venter mihi ex lenissimo medicamento facilè moueatur. ad medium horæ nonæ sub noctem iusculum veruecis, in quo vini rhenani tenuis aquosi paululum immixtum erat, tum panis intritus, loco cænæ accepi. Vinum enim immiscui, cum & Gal. his qui ob frigus & adstrictionem ephemeram patiuntur, modò plenitudine non laborent, neque cutis vehementer adstricta sit, minimè vinum dare recuset. Ad decimam deinde horam lectum intrans ad somnum me composui. paulò post vndecimam horam noctis à somno ob ventris saburram leuandam excitatus iterum multa muccosa ac liquida excreui, ac deinceps per noctem subsequētem altè dormiui. Manè hora sexta

iterum aluum deposui & similiter hora octaua, nec amplius posteà febrem sensi, nisi vnicam accessionem præcedentem. Eram tamen ex leui illa euacuatione, nonnihil debilitatus, sed ex cibo resumptiuo statim & facilè recreatus.

SCHOLIA.

Hippocrates seipsum ægrotantē pro exemplo ponere non erubuit. vti nec Gal. & alij præstantissimi medici.

NEMO *mihi hæc vitio dabit, quod me ipsum hic loco exempli proponam, cum & Hippocratem diuinissimum hoc factitasse constet, qui de se ægrotante lib. 3. De morb. vulgarib. sect. 3. mentionem facit. tum Galenus quoque sæpius ob esum fructuum (quos horarios dicimus) in varios morbos se venisse tradit, vt lib. De euchymia & cacochymia, & alibi sæpè ephemeram febrem se incurrisse testatur. Aëtius etiam in cholicos se dolores incidisse memoriæ prodidit sermone suæ medicinæ 9. cap. 31. missos facio plures grauissimos auctores etiam neotericos, Amatum, tum alios qui in varios se morbos deuenisse scripserunt. Hæc autem Diaria ex causa procatarctica facilè innotuit, idq; tempore frigido & ventoso, cum talia maximè in ipso ostio Oceani in se conspirant: & licet hæ febres ex constipatione cutis facilè in putridam mutentur, magis tamen hoc contingit in ephemera ex obstructione. Nam adstrictio est, dum adest angustia in poris cutis, quasi in superficie (qua quidem diaria ego laborabam:) obstructio verò dum adest angustia in partibus penitioribus: & talis ephemera facilius, si duret vltra plures dies, in putridam trāsit: quāquam hæc ipsa sit obstructio pusilla. adhuc pertinet ad veram ephemeram, si vnam diem duret: si sit paulò maior, diutius durat, & in putridam transit, vbi enim obstructio magna est & tantùm peccet in quantitate, tunc & synochus est sine putredine, quæ & in putridam facilè transit,*

sed si

ſed ſi peccat in qualitate, iam ſynochus putrida eſt, vt poſteà latius declarabimus. Ceterùm quomodo diaria ex frigore vel conſtipatione cutis curetur iam dictum eſt. Sed quæ ex obſtructione orta eſt cum ſanguis mox putreſcit, adhibetur aliquando venæ ſectio non ratione ephemeræ, ſed obſtructionis. & ita cap. proprio Bertrutius de ephemera ſi ſit ex obſtructione ne in putridam tranſeat, adhibet venæ ſectionem in homine carnoſo & plethora laborante, ſi & vrinam rubeam & confuſam ſpectauerit. ſi corpus ſit cacochymum ne etiam in putridam conuertatur, vbi victu craſſiore æger vſus fuerit, purgationem exhibet, & poſt euacuationem balneo vtitur aquæ dulcis tepidæ vel decocto chamomillæ ad poros aperiendos. interius oximelite, victu extenuante & facilis concoctionis, modo opilatio vehemens fuerit, alioqui leuis exiſtens, lenioribus medicamentis inſiſtit. De his vide Gal. lib. 8. meth. verùm cum hæc in diaria plurium dierum magis conueniant, ad harum curationem nunc accedentes, exemplis clariora omnia & apertiora videbuntur.

OBSERVATIO IX. DE EPHEMERA seu diaria febre plurium dierum.

IVVENIS quidam octodecim annorum cùm in mari circa finem veris nataſſet, & in littore aliquandiu nudus hæſiſſet, ex nimio frigore cute plus æquo denſata, diaria febre plurium dierum correptus eſt. Etenim ob ſtipationem, fumida ac fuliginoſa excrementa intra corpus detinetur plurima, vnde eiuſmodi febris accenditur. Ad quem curandum cùm ſecundo die accitus eſſem, his ſignis cognoui ephemeram eſſe plurium dierum, cùm in hac nulla ſuberat occaſio, quæ alterius acceſſionis principium excitaret:

citaret: ſolet enim permanere vna febris vſque ad finem, quæ nec quotidianæ, nec tertianæ, nec quartanæ, nec alicuius alterius febris notam præferat. Secundo loco tactu deprehendi; neque enim denſitas exercitatum tactum latere poteſt: in iis enim cutis durior & compactior ſentitur: calor præterea primo occurſu mitis & ſuauis, poſtea ſi diutius admotam manum continerem, acrior ſeſe offerebat: nam per adſtrictæ cutis exiguos meatus halitus paucus exhalat, qui foras calorem fert, proinde mitis ſentiebatur: ſpatio autem temporis impoſitam manum magis, ac magis calefacit, ita vt ſenſim auctus acrior apparebat. Tertio ex vrina percepi diariã eſſe pluriũ dierum, quæ neque conſiſtentia neque colore à naturali multum erat aliena: ſanguis enim non admodum feruebat neque bilis multa, quæ vrinam coloratiorem reddere ſolet. Quarto hanc febrem cognoui ex mole corporis, quæ manebat & non concidebat, cum cutis denſitas vaporis ac humoris reſolutionem impediret: proinde neque oculi caui erant, neque aridi, ſed prominentiores, ac humidiores, quàm pro naturali conſtitutione viſuntur. Quintò etiam nobis innotuit ex pulſu, qui æqualis, maximus, celer, frequens & vehemens exiſtebat. Hæc cùm animaduerterem, ſanguis ex vena baſilica ſeu iecoraria vt detraheretur, mandaui, ad vncias quinque; & cùm in deliquium animi ferè incidiſſet, ab vlteriori detractione abſtinui. deinde oximel. cum ſy. infuſ. roſ. & cico: cum Rhab. aqua hordei immixta exhibui, alui deiectione per ſe ſuperueniente, etiam ſudore magis erumpente. Tertio die omninò calore diminuto, febre liberatus eſt, neque balneo opus fuit, quo die, modò nulla putredinis nota in pulſu ſubeſſet, neque cruditas in

tas in vrina, Galenus eiusmodi febricitantes in balneum deducebat, & vbi in balneum corpus incaluerat, dulci prius oleo tepido vnctum, ac moderatissimè frictum, mox detergeri extrinsecus cum sapone, vel aliqua alia re detersoria, abluique iubebat.

SCHOLIA.

POSTQVAM *de prima & vera diaria febre diximus, nunc ad aliam diariam febrem transire oportunum duximus, quæ tametsi ferè in omnibus veræ diariæ naturam imitetur, in hoc tamen discrepat, quòd non quemadmodum illa* 24. *horis perficitur, imò quandoque trium dierum spatium excedit: nihil refert quod diariæ vocabulum non sit de substantia talis febris: nam conuenienti nomine destituti, clarioris simul & breuioris doctrinæ gratia, ab eo quod sæpius ei accidit, nomen antiqui imposuerunt. hæc aliter synochus non putrida, id est, continens non putrida vocatur: vtpote in qua vna accessio ab initio ad finem perpetuò manens in multos porrigitur dies. Medici hodierni (vt etiam annotauit doctissimus Amatus) ex sanguine febres distinguunt: cùm enim sanguis putrescit, febrem masculino nomine synochum appellant: cùm enim sanguis non putrescit, sed tantùm sua copia sanguis febrem excitat, tunc fœminino genere synocham vocant, barbari verò synocham inflatiuã: priorem autem synochum putridum appellant. verùm extra Galenum, atq. omnium Græcorum medicorum mentem, qui has duas febres sub vno synochi aut synochæ nomine complexi sunt, quod harum accessio ab initio ad finem vsque duret, nec prius, quàm ex integro febris deficiat, cesset. Consultius ergo medici fecissent, si Galenum imitantes, eius febris genus, quæ ex sanguinis dumtaxat feruefacti obstructione citra eiusdem putrefa-*

Diaria plurium dierũ cur sic dicta.

Gal. 9. meth. cap. 1.

Synochus.

Synocha.

Synochus putridus.

trefactionem oritur, sub diaria febre complexi fuissent, vt Gal. fecit lib. 2. De cris. cap. 12. Est autem hoc medium febrium genus, vti demonstrauit Donatus De medend. feb. cap. 40. De dignotione continentium absque putredine febrium & generationis modo ac curationis via. Interim licet medium quoddam habere videatur hoc febrium genus, maiorem tamen cum diariis, quàm cum his quæ ex putredine nascuntur, cognationem habet: quamuis cum ambobus generibus communia quædam habere videatur, vt in sequentibus patebit. Appellant autem has febres συνέχεις, *id est, continentes, non illi quidem Græco nomine vsi, sed solœcismum committendum potius rati, quàm formam ipsam sine nomine linquendam: si quidem in his febribus vna accessio ab initio ad finem perpetuo manens, in multos dies porrigitur. Intelligimus itaque tales continentes, quæ sub diariis contineantur, & quæ notam putredinis nullam habent, & potest hæc febris dici diaria plurium dierum. Porrò quæ putredine vacant continentes febres, & in diariarum febrium transitu generantur, non ex quauis diaria ex quacunq. causa orta generari eas contingit, neq. in omnibus corporibus, sed vbi diariarum febrium occasio stipatio dumtaxat fuerit: hæc autem vel obstructis exilibus meatibus, vel conniuentibus, vel & corpore ipso immoderatius densato accidit, Galeni auctoritate 9. meth. cap. 1. & quanquam etiam diaria legitima (vt prius diximus) ex stipatione orta si rectè tractetur, etiam si ex obstructione pusilla, vna accessione terminatur, & ad veram diariam ab eodem Gal. refertur. sed si sit obstructio maior, etiam diaria fit sed plurium dierum. propter causæ paruitatem, vnius diei efficitur, sicut etiam propter multitudinem, multorum etiam dierum. Verùm accessio eius ab initio ad exitum vsque vna est, modo ne ipsam excipiat ea, quæ ex putredine humorum nascitur, vt lib. 10. meth. à Galeno* quoque

Medium febrium genus inter hecticas & putridas.

Continentes sine putredine.

Continentes sine putredine non ex quauis diaria oriuntur.

quoque ſcriptum eſt. Ceterùm cum auctores ſynochum non putrem ſub diaria plurium dierum comprehendant, de iiſdem ſimul ſcribunt. at Aëtius ſub diuerſis capitibus de curatione harum tractat. & de curatione ephemerarum plurium dierum, quæ à veris ephemeris cutis obſtructione originem ducunt, lib.5.cap.68.& De ſynochis cap.69.70.71.& 72.ad quæ loca Lectorem relegamus. ſiunt autem ex ſtipationibus cutis, corpore immoderatè denſato, aut ex frigore, balneis aluminoſis, aut iis quæ contactu refrigerant & conſtipent item pharmacis ſimilis generis: pari modo iis quæ cutim ſiccent, veluti ſole feruente. etiam ex ephemeris ab initio malè curatis, etiam in repletis ex ſanguine, & in corporibus craſſis: & gracilibus minus, vt exemplis clarius ſuadet. Cauſæ.

OBSERVATIO X. DE FEBRE SYNOCHO NON PVTRI.

TEMPORE Verno Iuuenis quidam nobilis viginti duorum annorum, ſucci plenus, facie rubicundiore, ſanguine ſatis multo abundante, cùm pila palmaria ludendo impensè incaluiſſet, ac aëri frigido ſeſe expoſuiſſet, in ſynochum citra putredinem vel diariam plurium dierum incidit. Huic cum vrina rubra eſſet, ac pulſus fortis, ac cum ægrotus ſe inflari putaret: ilicò cum ad eum curandum accitus eſſem, venam iecorariam per chirurgum in brachio dextro pertundere iuſſi, octo vnciis ſanguinis vel paulo plus detractis: nam metus erat ne ſanguis ad pulmonem reperet, indeque pulmonia naſceretur: aut in thoracem, vnde pleuritis oriretur: aut quod ſanguis putreſceret, putriſque ex non putri fieret febris. Cùm autẽ aluum eo die deieciſſet ante venæ ſectionem,

nem, alioqui enemate emolliente hoc vel simili vsi fuissemus, quod habet herbarum emollientium ana m.j.folio lactucæ m.ß.pruna numero x.coquantur in s.q.aquæ ad tertias, cuius colaturæ accipiatur lib.j. in qua dissolue cassiæ re. extractæ sach. rub.ana ℥ j. olei viol. ℥ iij. salis ʒ j. omnibus commistis fiat enema:eo vtimur & ante venæ sectionem,si opus est,vel etiam post toto morbi tempore, quoties aluus adstricta fuerit. altero die ad sanguinis purificationem dedimus syr. viol. syr. rosſ. purgatorij ex rosſ. prouincial. ana ℥ j.ß.seri lactis ℥ iij.ß. quo etiam aluus mollescere cœpit. huic etiam gelidam aquam dedimus nempe ℥ iiij. cum ℥ j. syr. de limonibus,cum nec ante febrem ventriculo imbecillo esset. Cùm hæc diaria plurium dierum vel continens non putris à Gal. tum etiam ab Aëtio & sanguinis missione, etiam gelida & balneo curetur, de quibus aliâs latius dicturi sumus: at à venæ sectione post duas horas ptisanæ cremorem dedimus, & quietem imperauimus. At cùm post tertium diem febricitare desierit aliis remediis opus non fuit.

SCHOLIA.

Continentes sine putredine non quævis corpora inuadunt.

HÆC *autem febris in omnibus corporibus indifferenter consistere non solet, teste Gal.9. meth. cap.3. neque in gracili & frigido corpore, quemadmodum nec ea quæ cum putredine existit, sed plurimùm in iis qui sanguine abundant, & corpulentis gignitur, quando nec obstructio citra putredinem excitare febrem valet: nisi id quod transpirat, hoc est transpirare solet, vel quod attollitur vt transpiraret, copiosum sit & calidum: ita enim Galen. verba interpretanda sunt, aliâs in re ac in verbis sibi ipsi pugnaret, vt latius explicatur à Donato par.1. De medend. feb. cap.40.*

cap.40. At cùm febris synochus duplex sit apud Fernelium, vna simplex sine putredine: altera cum putredine. Simplex verò (de qua nunc agimus) sine putredine easdem causas atque diaria febris habet: quæ leuiores cum fuerint diariam: cum vehementiores synochum proferunt. In causarum censu admodum efficaces sunt, magna adstrictio constipatione cutis, vt diximus: & sanguinis redundantia, siue ex suppressa cōsueta vacuatione hæmorrhoidum, mensium, aut narium, siue ex immoderato vsu ciborum euchymorum & calidorum ea succreuit. Quamobrem hinc quoque obnoxius præsertim temperatus, intemperanter viuens, qui cum bene habito sit corpore, multo se tamen vino multáq; carne implet: hinc etiam sanguis multus atque calidus inest, qui non facilè corrumpitur. Ab his igitur causis primùm inflammatur spiritus, ac tum sanguis sensim incalescit. Huius enim tenues acrésue vapores ac ipsum calorem præter naturam cutis densitas aut adstrictio cohibet (vt suprà dictum est) nec prodire sinit, qui geminatus sanguinem inflat simplicemq; synochum facit. Sed huic generi & alteram finitimam huic ex bile, Fernelius facit, de qua alij non meminerunt. Causæ, inquit, euidentes, cùm vehementiores in biliosum corpus alioqui sanum irruerint spiritus concalfaciunt, sed & acrés humores exagitant, quorum æstu febris accenditur sine putredine. Hæc ephemeræ limites egreditur, nec tamen synochos est nunc exposita: illa quippè sanguinis est; hæc bilis concitatio sine putredine: illa in corpus incidit temperatum benéque habitum; hæc verò in calidum siccumq; ac planè biliosum. Huius causæ euidentes non aliæ sunt, quàm quæ ephemeram mouent: maximè verò cruciatus summus, qualis nephritis aut parturientis est: exercitatio, laborq; immodicus, æstus, balneum, animi excandescentia, & quæ his pares sunt viribus. In hac nullæ putredinis notæ in pulsu aut vrinis cernuntur, veruntamen

Synochus simplex sine putredine.

Synochus ex bile apud Fernelium sine putredine.

tamen os amarescit, deijcitur appetentia, sitis excruciat, capitis dolor, ac vigiliæ vrgent: in cute arida calor acer ferit. Sublata euidente causa paucis post diebus febris eiúsque symptomata (vt & mihi ipsi nuper contigit hoc genere febriculæ laboranti) quiescunt. Ex signis autem præsentibus tum prægressa potissimum me hac febre laborare animaduerti, cum post incendium (proh dolor) illud celebre Roterodamense, cum ad vrbem illius doctissimi Erasmi patriæ non spectandi gratia, sed ob amicos consolandi, quos ibi habebam, ita miserè conflagratum accessissem, calor tunc in vrbe ingens adhuc erat, qui caput præcipuè feriebat, sed & itinere æstuoso cum etiam æstus magnus esset, hac inquam febre correptus fui, quæ tamen nullo artis subsidio sedata est, cùm enim me ad quietem composuissem, illa ipsa desiit. Si dolor capitis qui vehementior erat, vigilíq; permansissem, eum inunctione olei viol. nenupharis & ros. lactéque muliebri recenter mulcto mitigassem. licet igitur synochos febris corpora robusta & florida plærumque amet, & infestet, vt fusius docet Gal. in lib. method. medendi, at alibi tamen gracilia plethora aliquando affecta inuadere solet, vt idem sentit, quemadmodum & illa mulier gracilis vxor aurificis vigēte canicula etiam sanguinea febre apud Amatum correpta fuit; cuius curationem tradit centu. 3. curat. 27. sed præcipuè tamen hac febris contingit ex sanguine, cuius curationis quædam exempla adhuc proferemus, antequàm ad continentes putridas veniamus.

OBSERVATIO XI. DE SYNOCHO non putri, à barbaris synocha inflata dicta.

RICHARDVS Monachus eius Ordinis (quos, quidam solœcismum admittentes, Canonicos regulares appellant) Iuuenis viginti quinq. annorum, optimæ,

optimæ conſtitutionis, temperaturæ ſanguineæ, in otio delicatè viuens, vt ſolent monachi qui non ſunt ſtudioſi, ceruiſia craſſa ſubinde ſe replens, nullo exercitio vtens: cum tamen ſe præter modum exercitaſſet, & in horto ſeſe frigori expoſuiſſet, in febrē ſynochum non putrem, quæ à barbaris ſynocha inflata dicitur, incidit. Secundo die ad hunc accitus, qui in monaſterio Heyloë dicto (propè Alcmariam patriam meam, in qua tunc praxim adhuc exercebam ſcilicet Anno 1556.) decumbebat, ex his notis percepi eum febre ſanguinea laborare, ſed citra putredinem, cùm calor primo contactu ſentiebatur mitis, quamuis diutius manum iniiciens tādem acrior euadebat, pulſus erat æqualis licet magnus, paulo celerior & vehementior, venæ tamen copia diſtentæ ſanguine turgebant, cutis ſatis mollis ſed blando ſatis calore & madore perfuſa. His animaduerſis, cum aluum per ſe ſponte deieciſſet eodem die, vt vnciæ octo ſanguinis ſtatim ex vena baſilica in brachio dextro detraherentur mandaui. mox eodem die ad caloris febrilis extinctionem ſy^m. ſequentem propinaui frigidè ℞. oxyſacch. ſimplicis ℥ j. ſy^i. viol. ℥ ß. Aquar. cich. end. borag. ana ℥ j. ß. fiat ſy^s. Altero die licet calor febrilis poſt venam ſectam multo minor eſſet, cum aluus non reſponderet hoc leniens medicamētum mane in aurora exhibui ℞. capilli vener. flor. borag. bugloſſæ viol. ana m. ß. prunor. numero vij. thamarind. ℥ ß. fiat decoct. in aqua communi, & in ℥ iiij. huius colæ vel ℥ iij. ß. diſſolue diacath. ʒ vi. caſſ. recenter tractæ ʒ ij. ſy^i. de cicor. Nicoli cum Rhab. ſy^i. ex multiplici infuſ. roſ. ana ℥ ß. miſ. fiat potio. ex qua ſatis bene excreuit. calore febrili magis diminuto. Tamen hunc ad balneum deducere auſi non fuimus cum æqui-

E noctium

noctium Autumnale instaret. Renes autem ad refrigerationem caloris febrilis, cum etiam nonnihil ibidem doleret, vnguento infrigidante Galen. inunximus. & cùm calor febrilis in totum cessaret alioqui epithemate cordis atque hepatis vsi fuissemus. ad alterationem & roborationem modò ex diarod. ab. sumebat. modò ex mixtura sequenti ℞ rob. cerasorum rob. de ribes. ana ℥ j. ß. conser. viol. rosſ. buglosſ. ana ℥ ß. zach. rosſ. cum perlis ʒ iij. ß. quarto autem die hic in totum à febre liberatus fuit. Cibus huic erat hordeatum, posteà etiam panatella cereuisiaria, potus verò ptisana, aut aqua hordei. in quarto die ad ius pulli alteratum cum lactuca coctum, succo mali citrei adiecto vel agresta, deuenimus.

SCHOLIA.

Cur monachi quidam ac otiosi facilè in synochum incidant.

IVNIORES corpulenti & succulenti in hanc febrem magis procliues sunt, maximè verò monachi, qui non solùm in hanc, sed etiam in synochum cum putredine facilè incidunt, vt in praxi quotidiana sæpius vidimus, tum cœnobiustæ ac patres illi qui lautè viuunt & molliter tractantur, atq. alij omnes qui vitam epicuream agunt, quod etiam Sauonarola capite proprio de synocha annotauit: quidam enim, inquit, qui primò pauperes sunt, & consueti parcè & non delicatè viuere, imò rudìter, multo se indies exponentes exercitio. qui deinde efficiuntur diuites aut prælati, stantes in otio, & duplicatis cibis, quos diu appetiuerunt sese replentes: & hi in hanc febrem facillimè & vt plurimum cadunt, quiq; mellitis vti consueuerunt; multoq; vino nigro crasso & dulci: vt nonnulli Prælatorum. Et ideò non mirabimur si tempore Sauonarolæ, Episcopi, Abbates, Monachi, tum alij omnes, qui ingluuie se dedunt qua-

lescunque

lescunque etiam illi fuerint, nunc quoque simili malo corripiantur. At signa verò harum febrium facilè ex iis quæ dicta sunt de diariis, si citra putredinem fiunt, cognoscuntur. Ab vrina, si sit subrubea vel subrubicunda, spissa, vel tenuis per totum sine ariditate & fœtore existens: & si in principio in ea appareat hypostasis bona & laudabilis, neque egestiones multum sint mutatæ. A calore, is minimè mordax est, & est plærunque cum humiditate vaporosa. A qualitate mutata, oculi, & facies, tum alia membra rubent, venæ inflantur, & in ore adest dulcedo, venæ turgent, & tempora pulsant, caput subinde dolet ac ingrauescit, somnus quosdam veternosus & profundus premit. Ab actione læsa, pulsus magnus, quando virtus fortis, mollis propter humiditatem, plenus ob plurimam materiam vaporosam humidam. Signa prognostica, est toto genere salubris, nisi error contingat: nam si statim ei debitè non succurratur, in putridam transit, idq́; quarto vel quinto die, vel statim post tertium. Quod si statim eidem obuiam itur, sæpè eodem die vel secundo vel tertio terminatur, potissimùm sanguinis missione copiosa: quæ si negligatur subitò ægrum aliquando interficit, nisi vi naturæ sanguinis narium aut hæmorrhoidum aut mensium fluxu, aut sudore copioso liberentur. Quandoque terminatur ad gutturis tonsillarum inflammationem anginam aut abscessum, vt sequēti exemplo ostendemus. vel ad pulmonem rapitur & peripneumoniam infert, vt antea diximus: vel in thoracem & pleuritidem adfert, vt sæpe vidimus: etiam si ad caput feratur phrenitidem & delirium, & sectione prætermissa subitaneam mortem inducit: vel medici errore, vbi calor naturalis per annuam missionem sanguinis, aut per gelida potum aut excellentem infrigidationem extinguatur: ita vt membra nutrimenta regere non possint, sed inflammentur, atq. in eis caliditas præter naturam accenditur, hecticam inducendo.

Signa febrim synocham indicantia.

Signa prognostica.

cendo. Subinde etiam ad morbilos & variolas eius fit trāſmutatio criticè. Quod ſi in hac febre facilis ſit reſpiratio tum anhelitus liber, optima ſigna ſunt, quibus ſi vrina intenſa accedit febrem abbreuiabit: ſin remiſſa, producet. Optima erit illa vrina, quæ album & ſimul continuam habeat hypoſtaſim: quæ verò diuulſam & rubeam licet ſalutarem, tamen longiorem indicabit: quemadmodum & illa quæ cruda eſt & citra hypoſtaſim, præter id quod longitudinem morbi decernit, etiam ita perſiſtens periculum adferre poterit. Vbi verò citò ſigna coctionis appareāt, citius terminabitur tertio vel quarto die, alioqui producetur, atq. tunc periculum erit ne ad putridam tranſeat. hinc etiam emiſſio lachrymarum inuoluntaria, pulſus debilis atque deficiens, vrina pauca liuida aut nigra cùm in diaria plurium dierum vel ſynocho non putri periculum ſignificent, ita in ſynocho putri mortem notabunt. Profundatio ſomni ac difficultas ſermonis in diaria plurium dierum vel continente non putri etiam malum portendit. Solet autem & hæc ipſa quandoque, ſi non phlebotomia aut refrigerantibus remediis extinguatur, in cauſon vel cauſonem tranſire: quamobrem nequaquam eſt negligenda huius curatio.

OBSERVATIO XII. DE FEBRE CONTINENTI CITRA PVTREDINEM vel ſynocho non putri, quæ tandem in ſynochum putrem non ſolùm conuerſa eſt, ſed etiam in anginam periculoſam tranſmutata.

NOBILIS ille Iuuenis de Paſſenroy in Vere mēſe Maio anno 1566. continuò febricitabat, lotium rubrum tenue emittebat, pulſus frequēs & plenus erat. Ægrotabat autem hic in Hagha-Comitis, cum poſt tertium diem medicum Haghanum Hughonem

ghonem Nieuenium familiarem noſtrum vocaſſet, atque tunc in gutture malè haberet ob neglectam ſanguinis miſſionem ab initio, ex diaria plurium dierum vel ex ſynocho ſimplici, nō ſolùm in ſynochum putrem incidit, verumetiam in anginam periculoſiſſimam. Cùm autem in otio etiam antea molliter vixiſſet, neque vnquam licet iuuenis boni habitus ſanguinis detractionem admiſiſſet, medico ſuo etiam nunc vrgenti venæ ſectionem non obediens, verùm eiuſdem conſilium optimum ac ſaluberrimū, neſcio quibus rationibus mulierculárum quantumuis nobilium malè perſuaſus, ſpreuit ac poſtpoſuit. Quamobrem cum phlebotomiam non admitteret, à medico electuarium lenitiuum exhibitum eſt, à quo benè excreuit: ſed inflammatio gutturis tum febris ad extremum aucta ſunt. ac lotium quod prius tenue ac rubrum reddebat, nunc craſſum ſpectabatur, in quo nebula ſpiſſa ac rubricans ſedimentum cernebatur. Cùm verò malum ſemper augeretur & febris continuò incrementum caperet, tandem ſanguinis miſſionem admiſit, & ita medicus ex vena cephalica ob anginam ſuffocantem in brachio è regione loci tumentis, ſatis copioſè (vt fieri debuit) ſanguinem detrahere iuſſit, deinde ſequenti die cùm parùm proficeret, à venis ſub lingua vt idem fieret, mandauit. Circa ſeptimum diem ab initio morbi omnia peiora viſa ſunt, vt æger ſuffocari videretur neque gargariſmata apta iuuabant, etiam emplaſtris loco dolenti appoſitis, cum angina in abſceſſum mutaretur. Ita vt ego vnà cum Cornelio Eritio Leydano meo collega vocatus fuerim: ſed vtriſque nobis aduentantibus, bonis auibus ſeu auſpiciis (vt dici ſolet) ruptum eſt apoſtema ſeu abſceſſus qui intus latebat, &

E 3 pure

pure excreto septimo die cum nos veneramus, sanus euasit.

SCHOLIA.

Medicus felix qui in declinatione morbi venit.

NON *sine ratione vulgo proditum est, felicem illum esse medicum, qui in declinatione morbi ad ægrum accedat, vt nobis vtrisque euenit. quamuis æger stultitiæ suæ pœnas ferè dederat, quod tam tardè sanguinis missionem admiserat. nam vbi hæc neglecta sunt, non per medicum, sed ægrum: non solum hæc febris mutata est in synochum putrem continentem, quæ semper increscebat, cùm tres in synochis febribus (tam citra putredinem quàm cum putredine) differentiæ sint (teste Gal. 9. meth. cap. 3.) nempe vel pari permanente ea magnitudine, quam in principio accessionis summam habuit: vel semper aliquid exigui adiiciente, vel diminuente, atque hæc vel æqualiter, vel inæqualiter faciente. Si enim quod accenditur, ei quod transpirat par fuerit, nec augeri nec minui calor febrilis videtur; sed perinde sibi similis permanebit, ac si nihil illi adiiceretur, aut demeretur: quippe cum ad æqualitatis custodiam nihil intersit, seruetur q́, eadem assiduè substantia, an ei quæ vacuatur par sit ei quæ adiicitur. Verùm si altera earum vicerit, vtiq́, si ea, quæ vacuatur, minui febrem necesse est, sin quæ adiicitur, omninò increscere. Appellant autem Græci primas illas* ἀκμαστικὰς, *vel* ὁμοτόνυς, *id est, æqualiter in vigore permanentes, alias* παρακμαστικὰς, *id est, decrescentes, reliquas verò* ἐπακμαστικὰς, *id est, increscentes. Ceterùm non solùm hæc cõtinens primò non putris, in synochum continentem putrem accrescentem translata est, imò in anginam periculosissimam conuersa est, ob sectione venæ ab ægro in principio neglectam nec admissam. Nam præter id quod initio phlebotomia peragenda sit, eadem quoque in his febribus copiosa fieri debet, cùm & Galenus*

Tres febris continentis siue synochi differentiæ.

Sanguis statim copiosè in his febribus detrahendus.

Galenus 9. method. cap. 4. vsque ad animi deliquium auferre suadet, maximum, inquiens, vbi vires valentes sunt continentis febris remedium: quod ratione per ipsum probatur: primùm nanque in contrarium statim agitur corpus, celerrimè ex animi defectu refrigeratum: hoc verò nemo inuenire potest, neque quod naturæ, quæ animantes gubernat, iucundius, vtiliúsue sit: postmodùm in eiusmodi corporibus necessariò superuenit, alui deiectio, nonnunquam etiam bilis vomitus, quas res statim à toto corpore, madores, sudorésue excipiunt: quæ omnia protinus ægrum liberant, ita vt tali remedio febrim iugulasse aliquando dictus fuerit Galenus. Multis tamẽ eiusmodi missio sanguinis non conuenit, etiam in robustis, corpulentis, quadratis & valdè sanguineis, vt vnus plus altero sanguinis detractionem ferre possit. Sic in Iohanne Heutero Nobili Delphio amico, & cognato meo, viro admodùm robusto, cum huic aliquando plethora laboranti Bononiæ in Italia ex febre continente decumbenti, Halideus medicus insignis præceptor meus ad duas libras sanguinis ex brachio detraxit, vt commode à febre liberatus fuerit, & nos quoq. hic Delphis commoranti, singulis annis mense Maio, cum crura lichene obnoxia haberet, libram vnam cum dimidia, aliquando plus minúsue extraximus cum optima tolerantia & vtilitate. quod tamen in fratre suo viro procero in otio viuente atque sanguine repleto, qui non minus robustus quàm frater videbatur, ne ad vncias quatuor detrahere audebam, etiamsi morbo acutissimo & continuo afficeretur: nam & febricitanti si ad vncias duas sanguinem ei demerem, ilicò in animi deliquium incurrebat, vt nisi aqua in faciem respersa ad se rediret. idem quoque non solùm exigua sanguinis detractione offendebatur, etiam quouis lenissimo pharmaco, si vel vncia vna cassiæ vel mannæ præberetur, ob ventriculum debilem. In eiusmodi aut similibus præstat multiplicare vi-

Gal. in his febribus ad deliquiũ animi sanguinem detrahebat.

Hælideus apud Bononiẽses in Italia medicus insignis.

res quàm semel multa copia auferre sicuti 9. meth. cap. 4. dicit Galenus: aliter non febrem, sicut fecit Galenus, sed ægrum iugularemus. Interim valida existente virtute, assentiente ætate, nulloq; alio insigniter renitente, sanguis auferendus, præstatq; vsque ad animi deliquium, modò virtus ferat: quibus vena non inciditur, ad summum discrimen perueniunt, nisi vel virium robore, vel copioso sanguinis fluxu, vel plurimo sudore à certa pernicie redimantur. Cùm multitudo enim in vasis amplius contineri nequeat, obstruit extenditq; corporis molem, ita vt infringantur quandoque recludanturq; vasa præcipuè narium. Ergo festinandum est vt sanguis auferatur, quantum vires tolerauerint, scilicet vt vasorum facultas transpiratione ventilationeq; restituta naturale temperamentum conseruans, more pristino humoribus dominetur. Ideò dicebat Galenus, quod nemo eorū qui ex obstructione febricitauerit sola, cui prius sanguis missus fuerat, in putredinis febrem incideret. & quanquam is aliquando ad animi defectum miserit, vbi expediebat, idem tamen vbi horum alterum non responderet, tutius esse putabat, tantum principio detrahere quod defuit, iteratione supplere, nempe virtute non satis valida nec ætate permittente, vt lib. De curandi ratione per venæ sectionem cap. 12. hic etiam nos in hac nostra regione valdè frigida & humida, cum etiam nos Germani nō ita sanguinis detractionem, vt Itali & Hispani ferūt, tutius quoque esse putamus sectionem iterare, quàm ad animi vsque deliquium sanguinem subitò & vnica vice educere. Etenim talem sectionem periculosam esse fatemur, nonnunquam enim inter ipsas medicorum manus quidam animi deliquio correpti, non amplius reuixere: nam & Galenus eodem libro, duos ipse vidit in medicorum manibus periisse: multi autem licet non protinus, at postea propter virtutis imbecillitatem periere, aliosq; non paucos inspexit in

Aëtius lib. 5. De venæ sectione in sparchis cap. 70.

Tutius est sanguinis missionem reiterare, quàm vsque ad animi deliquim educere.

graues, exitialesq; morbos incidisse ex tali vacuatione. hic & Aëtius loco citato, quidam non reuixerunt, qui certè non occubuissent, si citra virium exolutionem euacuati fuissent: aliqui reliqua deinceps vita ob nimiam inanitionem in frigidiorem temperaturam delapsi sunt, quorum aliqui decolorati in deprauatumq; habitum versi, denique interierunt: aliqui perniciosis morbis confecti fuere, qualis est aqua intercus, ingensq; illa spirandi difficultas, quam orthopnœëam vocāt & cetera huiusmodi. Ideò & habitus ægrotantium maximè spectandus erit, vt idem Aëtius admonebat, tum Galenus quoq. aliis multis in locis: nam idoneus est ad phlebothomiam corporis habitus, durus, multi sanguinis, densus, exhalationi reddendæ contumax & humida aëris constitutio. venæ autem secandæ obstant, puerilis senilisq; ætas, temperatura calidissima & sicciss. eiusdemq; naturæ tempus & regio, & qui humidioris naturæ sunt, adiuncta præsertim caliditate cum raro corporis habitu (interim nos frigidos quoq. minus sanguinis habere existimamus) & qui os ventriculi perquàm biliosum habuerint, aut imbecillum aut vegetioris sensus: tales enim vniuersi in venæ sectione, exolutionibus difficillimisq; animi deliquiis parati sunt. sed cui vena incidenda est, etiamsi triginta quatuor annos non excesserit, languidus tamen sit, mollis, pinguis ac candidus, angustasq; venas habeat, huic vel nihil vel parùm admodum sanguinis detrahes, nec in æstate. At adolescentes floridæ ætatis multi sanguinis, viribus robustis, tēpore verno copiosam sanguinis detractionem in istis febribus ferunt, & sic Galenus in illo adolescente laborante synocho sine putredine, cuius historiam habemus ad longum lib.9.meth. cap.4. ad animi deliquium sanguinem detrahere iussit. Sed quæ vena sit incidenda nunc breuiter explicemus: auctores ex vena iecoraria dextri cubiti mittunt, sic nos in iuuene de quo egimus obseruatione 9.

Qui facile venæ sectionem ferunt, qui minus.

Quæ vena sit incidēda.

& 10. & in monacho obs. 11. ex vena basilica seu iecoraria sanguinem detrahere iussimus. alij auctoritate constanti ex media. si laborans sano fortiq; pectore fuerit, si ea magis appareat, non incommodè quandoque mittitur. At quod hic medicus cephalicam elegerit, ob anginam suffocantem id fecit. misit vtcunque copiosè, tamen vbi metus est strangulationis ob anginam ne in deliquium animi incurrant, quod hic maximè obesset, præstat parcius vel per vices. interim tamen hic liberalior esse debebat, ob synochum continentem febrem. Præstat autem vt in principio fiat, licet etiam postea, si omissa fuerit. quemadmodum enim inquit Galenus (& citatur ab Aetio loco citato) me assiduè facientem vidistis, neque dierum numero neq. tantum plenitudini attendere, sed virium quoque robur in omnibus quidem, sed in synochis maximè febribus perpendere: vbi enim vires perstiterint, non in sexta solùm & septima, verùm in aliis quoque diebus vena secanda est. Interim tamen in die critica, si signa coctionis manifesta præcesserint notæ fluxionis sanguinis vel sudoris iam appareant, silentium satius est habere, & naturæ totum negotium committere. vbi & pessima symptomata appareant, quæ in morituris apparere solent, tunc ab ea desistendum, cum Hippocrates iusserit & in crisi, naturæ id committendum esse, & morituros solis prognosticis esse derelinquendos. vbi verò hæc non adsunt & vires non planè deiectæ sunt, id præstandum erit, quamuis initio vbi vires fortiores sunt, plus quàm in fine vel postea, vbi aliquo modo collapsæ sunt, minus sit detrahendum. Sed & hæ regulæ quoque (vt dicebat Aetius loco citato) ad venam secandam animaduertendæ sunt, quod præcedente alimenti cruditate tam diu differendum est, quamdiu coctio in ventriculo & ab intestinis excrementa egerantur. hoc idem Galenus iubet. ideò & nos, vbi morbus inducias non patitur, vt hic, & aluum

Quo tempore facienda.

non

non reddat æger, aut excrementa non descendant, statim glandem iniicimus, aut clysterem emollientem adhibemus, mox per vnam horam & alteram, eductis fecibus, venam incidere iubemus. Quod si sponte æger aluum deiiciat, his non opus est. Post etiam sectionem non minus clyster conueniet infrigidans, detergens, emolliens, vt Rondeletius doctissimus de synocho curanda admonet, vt si prius non licuerit. Nam hoc commune præceptum sit, inquiens, in omnib. morbis, in quibus mittere sanguinem oportet, vt prius iniiciatur clyster, vel post missionem, vt recrementa intestinorum detergantur: ne venæ inanitæ succum crudum vel corruptum ad se trahant; quamuis Garcialopius Lusitanus medicus comment. suo De varia rei medicæ lectione cap. 12. Rondeletio refragetur, vult enim Garcialopius vt clyster semper venæ sectionem sequatur. Ceterùm & illud quoque hic in synochis febribus curandis obseruandum, inquit Aëtius, si post venæ sectionem vereberis, ne nouus sanguis erumpat, vt muliebris fluxus, aut hæmorrhoides, tantùm in phlebotomia sanguinis relinquendum, quantum ad eorum locorum euacuationem suffecturum videbitur. Sed si eodem omninò tempore vel menses moueantur, vel hæmorrhoides aperiantur, totum negotium naturæ permittito: quæ si postea quantum oportebat non eduxerit, tunc venam secato, vt vtrunque simul iunctum perficiat, quod seorsum defecerat. Hæc de primo remedio de venæ sectione in synochis: secundum remedium erat potus aquæ frigidæ. sed de eo postea. Vtrum clysteres emollientes conueniant ante vel post sectioné venæ.

OBSERVATIO XIII. DE SYNOCHO NON PVTRIDA, IN QVA METVS erat, quod in putridam mutaretur.

LIGNARIVS Faber Alcmarianus, annorum viginti quatuor, cùm in aquam gelidam, licet tempore verno incidisset, ex obstructione cutis synocho

nocho non putri correptus est. Vix hic in aqua hæserat: ad quem secundo die accitus, cum aluum eodem die deposuisset, ilicò sanguinem eumque satis copiosum detrahere iussi, sed inter mittendum cum putridus spectaretur, ne in putridam febrem transiret, metuebam: ideò statim à venæ sectione hunc syrupum propinaui ℞ sy. de limonibus, de acetos. citri oxizach. simplicis ana ℥ j. aquæ end. cichoreæ lupul. ana ℥ ij. ß. fiat sy. dimidium mane cepit statim à venæ sectione, reliquum hora quarta pomeridiana. cùm enim huic gelidam non daremus (quemadmodum alteri iuueni magis incalescenti, potui aquæ frigidæ consueto & notis coctionis apparentibus, exhibuimus; qui & tertio die à sectione venæ, sudore magis effluente, quarto curatus fuit) contenti fuimus syrupis caloris incendium extinguentibus. quibus & Rondeletius vti iubet, licet Galenus duobus tantùm remediis præcipuè venæ sectione, & potione aquæ frigidæ contentus esset, ad calorem tamen extinguendum, præter syrupos etiam conditis tum aliis vti possemus, quamuis in iis sit respectus habendus. Si enim aluus liberius fluit, sy. capill. ven. iuleb. Alexandrinum confer. ros. conueniunt. si aluus siccior viol. de cucurbit. qui tamen minus conueniunt si bilem multam vomant, vt in his feb. fieri assolet, vt scribit Gal. Verùm cum noster æger sanguinem habebat vitiatum elegi de limonibus, de acetos. citri & oxizaccharum. valet & de granatis. hi omnes refrigerant & putredinem arcent. Vbi æger ad bilem propensus est syr. de end. de fumoterra simplici accipimus, quando serosa excrementa euacuant. His enim syrupis tum aquis, potiones alterantes (impropriè digestiuas vocant) & putredinem arcentes paramus.

Tertio

Tertio verò die cum febris nondum cessaret ℥ j. cassiæ extractæ dedi cum ℥ iiij. seri lactis. leuia enim damus medicaméta quæ serosa & biliosa recrementa euacuant, quæ solent hanc febrem in putridam transmutare, quæ citra calefactionem & humorum conturbationem aluum laxant. vt triphera persica. cathol. infusio Rhab. in aqua end. decoct. pulpæ sebestum thamarind. sy. rof. laxat. ex infus. rof. cass. cum sebes. berberis. estque hoc decoctum valdè vtile ℞. prun. sebesten: ana paria quatuor se frig. maior. contus. se. anisi ana ʒ j. thamarind. ℥ j. flor. trium cord. ana p. j. fiat decoctio, in quartario vno colæ dissol. sy. viol. ℥ j. vel si opus est maiori euacuatione sy. rof. laxat. ℥ ij. ß. Ceterùm cassia ægroto nostro satisfecit, vt quinquies aluum exonerauerit. condito sequenti deinde vtebamur. ℞. Conseruæ viol. folior. acetosæ nenupharis rof. ana ℥ j. specie diat. frig. ℈ ij. zach. rof. perlati ℥ j. sy. de limonibus granatorum ana ℥ ß. Cibus erat, pruna cocta, & arida poma cocta, hordei cremor cum pauco saccharo rosaceo paratus, ac amigdalarum ex aqua frig. & aqua rof. cum emulsione quatuor se. frig. maiorum ne in bilem dulcia verterentur. postea decoctum pulli aut coxæ capi vel gallinæ cum lactuca portulaca malo vno granatorum adiecto vel agresta. potus, aqua hordei, vel ceruisia tenuis, ceruisiæ crassioris & vini vsum omninò interdiximus. Post quartum diem calor omninò mitigatus est, & in septimo perfectè fuit curatus.

SCHOLIA.

HARVM *febrium duo sunt præstantissima remedia apud Galenum venæ sectio ad syncopen vel animi deliquium, vel saltem copiosa. deinde aquæ frigidæ potio.* De san-

De sanguinis missione dictum est: at de aqua gelida sumenda nunc dicamus, de qua sumenda latius vide Gal.9. *meth. cap.* 5.*&* Aët. *cap.*71. *lib.*5. *Ex quibus facilè patet quę nam aqua, qualisue, quanta & quomodo danda sit, & propter quam causam detur, & quibus danda non sit. Danda autem est ea quæ dulcis & optima sit, & quæ prorsus est gelida, & quãtum ægro bibere licet, quinimò magis id audebit, si frigidæ potioni insueuerit. Vbi igitur æger qui curandus sit, qui non prius tantum phlebotomiæ præsidium omiserit, sed nunc quoque vel metu, vel alia occasione eandem effugiat, ad frigidam exhibendam accedere oportet, distinguendo quod inde nocumentum subsequi possit: nam si paruum vel nullum omninò prænoueris, frigida pura exhibenda est, vsque ad bibentis saturitatem. Hanc verò quantitatem determinauit idem* Galenus 1. *De rat. victus text.*43. *licet quibusdam varius in hoc esse videatur: dicebat enim, potio aquæ frigidæ tanta sit quantum frigidæ aquæ æger inspirando haurire possit, id enim est quod dixerat lib.*9. *med. quod valida existente febre & virtute, tantum biberet vt liberet, quantum vna inspiratione bibere possit. Danda autem erit eo tempore postquam coctionis signa manifesta in venis apparuerint, & febris est remissior, & non alio tempore. Cauere enim principium & incrementum debemus, & totius morbi particularisq; vigorem: nam si oportuno tempore frigida exhibeatur, solidorum membrorum naturam excitat, quæ excitata attenuatis primò humoribus, vtiles quidem retinet, inutiles verò per aluum, per vomitum, aut per sudores expellit. Quòd si æger sanitatis tempore frigidæ potor fuit, audacius propinato, experimento edoctus viscera frigidæ occursum toleratura. Si enim aliquod membrum adeo frigidæ naturæ fuerit, vt à frigida potione etiam sanum lædatur, futurum omninò nocumẽtum vereri oportet. sed si sanos frigida non lædebat,*

Potus frigidæ aquæ quibus conditionibus offerendus.

lædebat, prorsus neque febrientes lædet, ignei caloris multitudine, veluti maximo propugnaculo in profundo existente. Malè quidam nostro tempore sunt medici quidam ψυχροφόβοι, id est, frigidæ exhibendæ formidantes, quod putent omnes aqua frigida lædi. sed his, quibus vtilis est, vt nunc diximus, danda erit, aliis minimè. læduntur autem aqua frigida, qui parùm sanguinis & parùm carnis habent, quia celeriter ad solidas animalis partes peruenit, nulli quod eius vim frangat, occurrens. Eadem ratione hectici frigida nec multa neque sincera indigent, quoniam gracilia & exsanguia eorum corpora sunt. Danda autem non est his qui crassos & lentos humores habent, qui obstructiones, qui phlegmonem, aut erysipelas, aut scirrhum, aut œdema in visceribus habent, item qui gulam & ventriculum, aut neruorum genus debilia habent. his frigida non est offerenda, sed his tantum, qui febre laborant ob cutis obstructiones, & putredinem sanguinis in omnibus venis, saltem maioribus. Ex his omnibus satis manifestum est, quæ, qualis, quanta, & quibus danda sit frigida. Et ita sunt quoque incommoda multa quæ frigidam potionem intempestiuam immodiceq́; exhibitam sequuntur, non pauca nec contemnenda, quæ magnoperè animaduertere oportet: nam vbi eadem timerentur, ab hac omninò abstinere necessum esset, ac ad alia (vt etiam Galenus admonuit) remedia conuerti; viscosos etenim ac crassos humores attenuari ac transpirari frigida impedit. tunc potius vtemur præsidiis quæ obstructiones aperiant, humorum copiam euacuent, & feruorem febris remittant. & sic erysipelati aut inflammationi neque duritiei aut œdemati confert, sed protinus quidem febri iam factæ extinguendæq́; non leuem commoditatem adferre videtur: causa verò permanente, vbi à frigida corpus densatum fuerit, febris altera priore difficilior incenditur. Et hoc quidem nocumenti

Frigidæ aquæ intempestiuũ potum quæ incommoda sequantur.

menti genus videri posset toleratu facilius, sed multi quibus viscera sunt imbecilla (vt stomachus seu gula, ventriculus, aut eius os, aut iecur, aut pulmo, septum transuersum, colon, renes, vesica, aut tale quippiam fuerit inflammatum) à frigida potione incommodum minimè contemnendum superuenit. Cuidam enim os stomachi vsque ad propriæ actionis internicionem affectum est, vt vix postea deglutire possit: alterius ventriculus adeò refrixit vt summa cum difficultate concoqueret. cuiusdam hepar ita violatum est, vt in hydropem inciderit. plurimorum verò colum, pulmo, renes, vesica, aut aliud quidpiam à frigida oppressum deinceps ad peculiares functiones imbecillum permansit. nonnulli extemplò ac bibissent, in orthopnœas, improbos sopores, lethargum, parotidas, conuulsiones, tremores, apoplexias inciderunt. Noui me ista, inquit Galenus (& citatur ab Aëtio) enumerando, formidolosum te ad frigidam exhibendam reddere. vidisti me tamen sæpenumerò in arte exercenda suo tempore & vt oportebat, hoc vsum præsidio, ægris semper absque vllo prorsus nocumento profuisse. Sic rusticus quidam à me synocho laborans, citra inflammationem viscerum, aqua potu assuetus, gelida assumpta post venæ sectionem & signa coctionis apparentia fuit curatus: Quemadmodum æger ipsius Amati Blanquinus (vt ipsemet narrat curat. 14. centur. 4.) etiam sanus factus est, cui aqua à medico abnegata esset, ad quem ipse Amatus, cum peruenisset, & in vrina coctionis notas contemplaret, & aquæ appetentiam inexpugnabilē, cum linguæ nigredine & ariditate notaret, illi gelidam ad satietatem concessit, qua illicò vomuit, & postea copiosissimè sudauit, post quem sudorem ex integro febris delituit. Sic in mercatore Cirinio, nobili & magnifico, Iohannis Tertij regis Lusitaniæ apud Antuerpiam negotiorum procuratore, siue factore vt vocant, gelidam bibendam Amatus cum dedisset, vigente ardentissima

Rusticus synocho laborans aquæ potu curatus.

Blanquinus æger Amati aquæ potu curatus.

Emanuel Cirinius sanatus gelida ab ardentissima febre.

dentißima febre à potu pallidam bilem euomuit & melius habuit, vt sanitatem recuperauerit: ita vt liberalis ille mercator pro curatione & aquæ potu, Amato suo medico largitus sit trecentos aureos ducatos. Vide eundem 3. curat. centur. 1. & scholia eiusdem in qua de aquæ potu multa doctißima ex mente Hippoc. & Galeni narrantur. Interim ab altera parte considerandum ne aquam gelidam intempestiuè exhibeamus ob incommoda quæ sequi solent vt nunc diximus; cum enim omnium neruorum genus & caput præcipue offendat: nam & Antonius Parmensis iuuenis quidam robustus (vt refert Beniuenius De abditis morborum causis cap. 16.) cum sub feruentißimo sole, & magni æstus tempestate pluribus diebus in itinere fuisset, ardentißima tandem febre correptus est: quare cum vehemens eum sitis vrgeret, frigidißima aqua epota, mortuus est. Ita quoque Valerius Cordus iuuenis doctißimus magnæ spei adolescens (vt eius scripta adhuc hodie demonstrant) consodalis & familiaris amicus noster anno 1544. cùm equo Romam iret, cum Cornelio Sittardo iuuene amico etiam nostro carißimo, quos & ego paullò post, Bononia discedens, sequens, Romam veni pedestri itinere. Illi verò circa dies caniculares tempore admodum feruido in montibus Florentinis cum plurimas herbas collegissent: Valerius deinde siti valida cum premeretur, gelidamq; subinde bibisset aquam, qua cruditate oborta, & obstructione, tandem Romam veniens, febre ardentißima correptus est, qua illustrium medicorum ope, cum restitui non posset, ea nocte cum illi aßistens eram, vitam cum morte finiuit. Memini quoque cum anno 1545. apud Pithnecos in Gallia praxim exercerem medicam, iuuenem in sphæristerio ludendo cōcalfactum, gelidam bibisse, mox in animi deliquium incidisse, ab eo verò statim in pleuritidem sæuißimam, à qua tamen non sine periculo nostra industria ope diuina euasit. Eodem ferè modo generosus

Ex aquæ frigidæ potu mortuus.

Valerius Cordus ex gelidæ aquæ potu in ardentissimam febrē lapsus Romæ mortuus.

Iuuenis ex aquæ potu in deliquium animi, deinde in pleuritidē lapsus.

Fredericus Comes de Hohenloë ex aquæ potu in conuulsiones incidens.

rosus Comes Fredericus de Hohenloë, Germanus, iuuenis albi coloris, egregiè formosus, staturæ admodum proceræ, cùm apud Comitem Iohãnem de Assouvven, Illustris Principis Auraici fratrem, & etiam fratrem suum Philippum Comitem de Hohenloë Chiliarcham, vino per aliquot tempus liberalius vsus esset, tum equitando continuò sese in armis exercitasset, vt Lochenam ciuitatem cum militibus ac equitibus ab obsidione liberaret, mense Augusto anno 1582. Geertrudebergam cùm venisset, in febrem continentem periculosissimam incidit. Ad quem curandum primò accitus fuit Franciscus Marcellus medicus Dordracenus amicus noster. sed cùm semper æger in peius vergeret, frater eius Philippus Comes de Hohenloë nũtium ad me vnà cum literis misit, vt fratrem extremè decumbentem inuiserem. Ad quem cùm peruenissem, erat octauus dies quo continuò febricitare cœperat, qui gelidam aquam noctu dieq; biberet, vrina per totum morbi decursum cruda existente, in conuulsiones omnium ferè musculorum & præcipuè pectoris adeò graues incurrebat, vt ilicò mori videretur, & quanquam nos inhiberemus aquæ potum, vix ab eo abstinuit, vt eius loco ob sitim vehementiorem aquam cinamomi tum iulebos sumeret. At postea potius beneficio fortis naturæ, quàm remediis, quæ admodum difficulter admittebat, paulò melius habere cœpit, medico Dordraceno nunc domum repetente, nos autem deinde per diem atque alterum apud illum egimus. quem deinde in Hagham Comitis deduximus, atque ibidem quibusdam adhibitis aptis remediis, sanus factus est. Hæc paulo latius de aquæ gelidæ potu in febribus synochis, ne opus sit hæc ipsa in ardentibus ac aliis febribus continentibus repetere: estq; nunc tempestiuum vt ad secundum genus febrium nempe putridarum accedamus, rursus facto initio ab ipsis febribus synochis putridis.

OBSER-

OBSERVATIO XIIII. DE FEBRE sanguinea seu synocho cum putredine.

MERCATOR Frumentarius annorum 26. qui ad viam Delphiam antiquam dictam habitabat, cui sanguis aliquando è naribus fluere solebat, qui nunc ad duos tresve annos non fluxerat, cumque per duos annos à venæ sectione abstinuisset, quo antea mense Maio vti solebat, iuuenis temperaturæ sanguineæ, vinoque rubro & crasso sæpius vtens: Hic cum pedestri itinere fatigatus esset, lassitudine affectus, in febrem sanguineam seu synochum cum putredine incidit: hinc caput valdè graue erat ac dolebat, res rubeas videre somniabat, tempora pulsabant venis sanguine repletis & manifestè apparentibus, oculi rubicundiores erant, dulcedinem in ore percipiebat. Hæc cùm animaduertissem, atq. 19. die Maij anno 1576. ad illum accitus essem, cùm eodem die per se aluum reddidisset, eius internam brachij venam secari iussi, sanguinisque libram vnam extrahere, & vt insignem haustum huius ptisanæ gelidæ, vel integram libram sumeret si posset aut dimidium huius statim à venæ sectione ℞. hordei mundati p. j. glycyrizæ rasæ ʒ iij. prunor. damasc. acidor. numero IX. coquatur in aqua pura pro lib. I. sectione venæ peracta & ptisana hac assumpta cœpit egregiè sudare cum quadam alleuiatione. Die sequenti hunc sy. propinaui ℞ oxizach. simplicis ℥ j. ß. aq. end. cich. acetosæ ana ℥ j. & pro siti sumebat cerasa condita, lactucam conditam aqua gelida irroratam, subinde cochlear vnum oxizach. simplicis & viol. & si magis sitiret capiebat ptisanam solitam. quarto die deuorauit ʒ x. diaprunis simplicis. & bene excreuit, alio-

qui mane ſequenti dediſſem mannam cum Rhab. Ceterùm in quarto die poſt excretionem alui, vrina quæ prius rubra & tenuis erat, hypoſthaſim albam habuit, etiam ſubſidebat, & craſſior facta eſt, & coctionis ſigna in quarto apparuere. quare ægrotum bene ſperare iuſſi. Nam hic quartus dies diligenter in hac febre (ſicuti in aliis omnibus continuis febribus) obſeruandus eſt, vt etiam doctiſſimus Rondeletius cap. proprio de ſynocho putri annotauit: nam ſi materia manifeſtæ coctionis futuræ & criſis iudicia præbeat, ſperandum eſt, vt die ſeptimo morbus iudicetur. Septimo enim die cum hic bene ſudaſſet, à febre liberatus eſt. interim ne vires deficerent condito ſequenti vtebatur ad vires inſtaurandas, cor muniendum & ſitim temperandam. ℞ conſeruæ rad. bugloſſæ ℥ ß. conſeruæ cichorij acetoſæ conſeruæ ex pulpa interiore citreorum vel limonum ana ʒ iij. pul. Diamarg. frig. ʒ j. zach. roſ. cum perlis tabulati ℥ ß. fiat cõditum. Cibus huic in principio panatella ſimplex, & hordeacea cum vino granatorum, poſtea ne deficeret, nam noſtris adeò tenuis victus non ita confert vt Italis; etiam ius pulli cũ ſpinachia & lactuca conceſſimus, poma cocta & panatellam ex ceruiſia pane intrito & ſaccharo aſperſo. & hic poſt ſeptimum ſtatum ſanus factus eſt.

SCHOLIA.

TRIA *diximus genera febrium eſſe, de primo genere nunc egimus, quæ in ſpiritibus accenduntur, harum vna ſpecies erat, cum ſpiritus corpus ſimplex eſſet, nempe diaria vnius diei, ad quam etiam illa plurium dierum dicta, etiam ſynochus non putris, pertinebat: quamuis & hæc ipſa facilè in putridam conuerteretur. Nunc ad ſecundum*

genus

genus peruenimus, sumpto rursus initio à synochis putridis, quæ ex humoribus fiunt. At humor quia multiplex est, etiam multiplicem differentiam constituit. Concalfactus enim sanguis, præter sanguineam simplicem, de qua hactenus egimus, etiam synochum putrem efficit, cuius in præsentia sermo est: ita & bilis putris in venis quidem assiduam, ita & ardentem & tertianam quidem continuam facit, extra venas tertianam intermittentem. Ad eundem modum pituita & bilis atra varias formas febrium gignunt, vt postea docebimus. Cùm itaque putrida febris multiplex sit, cuius calor ex illuuie putrida emergit, hæc ipsa ex putrescentis humoris specie atque situ duo prima constituit genera, continuam vel intermittentem. Iterùm continua duplex est, vna primaria & vera, quam putrescens humor in vasis maioribus quæ inter alas & inguina excurrunt, accendit: Altera symptomatica est, quæ visceris cuiusdam partisue putredinem quasi comes insequitur. Et quæ harum ex iecoris, lienis, renis, aut cuiusuis partis erysipelate fit, à Fernelio typhodes appellatur, alij tamen volunt typhodes & elodes in humido ac perpetuo sudore consistere & madore, quo corpus continuo resoluitur vt suo loco dicemus, quamquam & typhodes ab Aëtio dicitur, quam erysipelas hepatis accendit. Quæ ex earum aut insigniorum partium phlegmone, vt ex peripneumonia, pleuritide, aut phrenitide, phlegmonodes dicitur. Vtraque autem symptomatica est continua. Fit & nonnunquam symptomatica, dum in hisce visceribus, citra eorum inflammationẽ coërcitus humor putrescit. idq́ue si affatim vniuersimq́ue fit, acuta febris existit: si verò sensim ac lentè, continua lenta, quæ diuturna esse consueuit. Putrida febris continua primaria & hæc duplex est, quæ suas species sortitur ex vincentis humoris natura, vt si æqualiter putrescant tunc vocatur synochos putrida vel continens putrida,

Febriũ quæ ex humoribus accenduntur diuersæ species.

Putrida febris multiplex.

Continua. Intermittẽs. Continua duplex. Symptomatica.

Typhodes Elodes.

Phlegmonodes.

Acuta. Continua lenta. Putrida continua primaria duplex.

Synochos continens.

quæ etiam à Caputuacceo continua continens vocatur cum inter continuas quoque refertur, eò quòd continuò affligit. est hæc rursus triplex vt diximus, acmastica, epacmastica, paracmastica. de hac prius loquemur cuius exemplum hic proposuimus. Si verò tantùm vnus humor putrescit, synochus siue continua dicitur; à bile tertiana continua, cuius si magnum incendium cor & præcordia occupet, causos seu ardens febris dicitur. à pituita, quotidiana continua. à melancholia, quartana continua. de his omnibus dicemus, deinde verò de intermittentibus putridis simplicibus, quarum etiam tres existunt differentiæ, tertiana ex bile, quotidiana ex pituita, quartana ab atra. De his omnibus dicemus. at omnium primò de synocho putrida, siue de sanguinea febri loquemur. Cum enim synochos duplex sit, vna continens & acuta ex sanguine in venis non putrefacto, in multa copia peccante, ex natura eadem cum diariis, vt Gal.9.meth. cap. 3. docuit; de qua satis dictum est. Altera verò putris, vel statim ab initio, vel non putri succedens, putrente scilicet sanguine. Qualis etiam ex putrescente in vteri venis, omnium corporis partium plurimus & maximus, sanguine illas replente, ob retenta menstrua, vel partus excrementa, vel phlegmonem vt Gal.comment.1.in 6. lib. epidim. At prima nempe sanguinea ex sanguinis abundantia, inquit Auic.1.cau.cap.44. medium vtriusque scilicet ephemeræ & putridæ synochi sapit, nam differt ab ephemera, quia sanguis est calefactus: differt à putridis, quia nulla adest putredo. lege de his Gal. 9. meth. cap.2. Quædam inquit febrium habent manifestam notam putredinis, quædam non habent. lege etiam 2.De cris. cap.6. & Paul.lib.2. cap.26. Habemus & vtramque descriptionem apud Gal.2.De diff.feb.cap.2.& 4.method.cap.3. & 2. De cris.cap.6. tres species synoch. demonstrat quas Aëtius ser.5. cap. 70. solùm competere ait febribus à sanguine

Synochus. Tertiana continua: Causos ardens. Quotidiana continua. Quartana continua. Intermittés.

Synochos putris.

Loci consentientes de febribus sanguineis.

non

non putrido factis. At harum materia sanguis est non quidem simplex, sed qui ex quattuor humorum æquabili permistione cōstat & ita rarò simplex synochos reperitur. vide Fernelium *lib.4.cap.4. Sed quantum ad synochum putridam attinet, de qua cap.5.agit, magna est dissensio inter medicos proceres de sanguinea febre putrida, num sanguis putrescat an ex ea synochos fit vel biliosa. Caputuacceus multis modis ostēdit eam fieri à massa sanguinea serosa, in magnis vasis putrescente. At secundum* Fernelium *sanguis putrescit, cùm vi caloris præter naturam segregantur, quæ in eo sunt substantiæ dissimiles, & bilis flaua ac tenuis ab atra quæ crassa terrenaq́; est secernitur, ea non synochos, sed vel biliosa vel melancholica euadet. Alio modo verè sanguis putrescit, cùm citra substātiarum diremptum aut secretionem totus corrumpitur magno fœtore aut graueolentia: & ita per febres qui detrahitur sanguis sæpe non solùm fœtidus & graueolens, sed & putridus spectatur, vt neque cohæreat aut concrescat, omnibus scilicet eius fibris putredine consumptis. hoc modo sanguis corrumpitur vt* Fernelius *docet cap.5. lib.4. & accenditur synochos putrida. Syluius verò iuxta Galenum lib.2.cap.12. De diff. feb. in suis commentariis de febribus admittit quidem sanguineam putridam, sed ait in ea putredine quod tenue est in sanguine & pingue magis quòd mox in bilem flauam abeat. Quo fit, vt mutata priore synochi natura, quia ex sanguinea febre in biliosam degenerat, nomen quoque immutet: & συνεχὴς biliosa vocetur.* Totam *συνόχων naturam, hoc est differentias, causas, symptomata, signa, curationem Galenus plenissimè scribit libro methodi: nono quidem non putris: vndecimo autem putris.* Ex *quibus fontibus, ad satietatem vsque, cum opus erit, exhaurias licet.* De *hac autem febre sanguinea an aliqua sit, nō sine re dubitatum ab antiquis: de quo certant Arabes cum Græcis.*

De febre sanguinea seu synocho putrida magna est dissensio vtrum sanguis putrescere possit.

Galenus id pernegat. Contra Galenum Auicenna multis disputat! Alij argumentis docent Galenum non negasse sanguineam esse putridam. De his vide auctores, & libellum Sebastiani Aquilæ De quæstione febris sanguineæ ex mente Galeni. Vide etiã apud Holerium alia argumẽta quæ Arabum sententiã confirmant. Sed præstat vt in eo magis laboremus, vt fideliter curemus, quàm vt subtiliter differamus.

OBSERVATIO XV. DE FEBRE continente seu synocho putri.

VIR nobilis annorum circiter triginta, virtute, quoad vitalem, animalem, naturalem, forti ac robusta, calidi cordis & renum calidorum, habitudine carnosus, temperatura sanguineus, cum amplitudine venarum, & sanguinis plenitudine, delicatè & otiosè viuens, medicamentis vti minimè consuetus, sed sectione venæ, quam & nunc per aliquod tempus, vt iuuenis præcedens, neglexerat. Hic cum lepores in venatione per integrum ferè diem in mõtibus arenosis insecutus esset, ex nimia cursitatione concalfactus, & sudore madens, cum lassus deinde in domo perflatili sederet, ex frigore sudor repressus est, ac pori cutis seu meatus restricti, vnde prohibita transpiratione, cum corpus dispositum haberet ad febrem continentem, circa initium veris, in synochum putrem lapsus est, sub noctem à cęna cum domum rediisset. Sequẽti mane ad eum vocatus, ex informatione signorum, tum eorum quæ præcesserant, ex causis prægressis; tum quæ aderant, cognoui febrem synochum putrem cõtinentem esse. Venit mihi tunc in mentem casus ille de Vlpiano Papiniani socero synocho quoque laborante, qui ex vrbe Pisa vsque

vſq. Romam iter feciſſet menſe Iunio, vt narrat Sauonarola, cui Siculus medicus ſtatim lenitiuum clyſterem ex betæ maluæ viol. & prunor. decoct. oleo viol. & caſſ. r. &c. præſcripſit, & ſanguinis libram ex brachio detraxit, & à venæ ſectione dedit lib. 1. aquæ hordei cum ℥ iij. iuleb. violat. & poſt duas horas, victum humidum præſcripſit & refrigerantem; altero die cùm videret ex vrina, & pulſu animaduerteret calorem febrilem non fuiſſe diminutum, rurſus vncias ſex ſanguinis extrahere fecit, eadem victus ratione obſeruata. & iuſſit ſi ſitiret, quòd ei daretur aqua cocta ſimplex cum vino granatorum aut aqua hordei cum iuleb. roſato. Tertio die cum inueniret eum adhuc calentem, clyſterem infrigidantem, lenientem ex mal. viol. beta nenupha oleo viol. & ſale cum modico hordei iterùm præſcripſit, & vſus eſt dieta craſſiore ex ſpinachia, lactuca, iure pulli: & quia cõſueuerat ſemper bibere vinum, dedit album tenue cum aqua gelida lymphatum. poſt prandium verò quieuit ac dormiuit: ſub noctem cùm perciperet calorem, epithema cordi infrigidans adhibuit, & ea nocte cum ſitiret dedit iuleb. roſ. cum aqua acetoſ. & end. vel cum aqua hordei. Die quarto in aurora exhibuit ſyr. acetoſum cum aqua capill. Veneris end. & exigua aqua fœniculi adiecta. Octauo die dedit mãnam cum Rhab. cum decoct. thamarind. & prunor. in aqua end. Nono die ſudauit, & fuit à febre liberatus. Poſt quartum diem vſus eſt frictionibus bis in die mane & ſub veſperam ante cibum, & ita conuenienti victus ratione fuit curatus. Noſter autẽ ægrotus iiſdem ferè remediis fuit etiam ſanatus. Nam ſtatim poſtquam aluum ex glande exoneraſſet, poſt duas horas ex vena communi ſeu media, cum ea magis ap-

gis appareret, vt sanguis ad libram vnam detraheretur, mandaui. deinde syrupum sequentem propinaui ℞ sy. acetosi simplicis sy. de limonibus sy. granator. ana ℥ ß. aqua end. lupul. fumariæ ana ℥ ij. misc. fiat haustus. Tertio die accepit hāc purgationem ℞ Diacatholiconis ℥ ß. Diaprunis simplicis cassiæ mundatæ ana ℥ ij. aquæ cich. ℥ iij. sy. ex infus. ros. ℥ j. ß. misc. quinquies ex ea potione aluus soluta est, cum illi facilè moueretur. Quarto die accepit syrupū sequentem. ℞ oxizach. simplicis sy. de agresta sy. de limonibus ana ℥ ß. aqua cich. borag. end. ana ℥ j. misc. fiat sy. Cùm in quarto signa coctionis in vrina apparebant, die quinto ad maiorem resolutionē cum rebus prouocantibus vrinam & sudorem & dilatantibus poros cutis ad faciliorem exitum vaporum processi & exhibui decoctum sequens ℞ sy. acetosi simplicis ℥ j. ß. emulsionis quatuor se. frig. maior. ℥ ij. aquæ decoct. rad. end. ℥ iiij. misc. Hæc enim vrinam sufficiēter prouocabant. In sexto etiam ad sudorem eliciendum dedi ℥ vi. aquæ hordei calidæ zach. adiecto, & pannis coopertus, postea cœpit sudare, ita vt etiam in septimo vltra sudore copiosius effluente, pristinam sanitatem nactus fuerit.

SCHOLIA.

SEX sunt magna ex parte febrium sanguinearum causæ, obstructio, repletio, multitudo exercitij non consueti laboriosa, consuetæ euacuationis retentio, aquositas ipsius sanguinis ex comestis fructibus elaborata, humoris crassi & crudi copia sanguine admixti. Causæ. *Quæ causæ licet synochum simplicem inferant, si tamen magis intendantur synochum quoque cum putredine inducunt, cùm etiam simplex in putridam facilè conuertatur, maximè verò vt dicebat*

cebat Gal. 9. method. medicorum ipsorum inscitia, qui sanguinem in principio non detraxerunt, vel laborantium ipsorum timiditate. etiam ratione maioris obstructionis. licet Galenus dixerit quod eorum qui sola obstructione febricitarent, nemo in putredinis febrem incidit, qui prius sanguinem miserat; procul dubio intelligit leuem obstructionem. alioqui facilè & in synochum putridam incidunt. Vel hæc ipsa per se incipit sanguine iam statim putrefacto, vel statim primo die notas putredinis habuerunt, aliæ in tertio, aut certè ad summum quarto. At synochos simplex seu inflatiua vel sine putredine, differt à synocho cum putredine, vt etiam ex supradictis cõstat. synochos simplex est ex quantitate nimia sanguinis, nec putrida, maioris inflationis, citæ terminationis, & securioris, neq. huic debetur digestio, nisi forte per syrupos vt dictum est refrenatio ipsius bilis ne sanguis cum bile putrescat. At synochos putris est cum putredine, peccans tam qualitate quàm quantitate, magisq́, materia ob putredinem expanditur per totum corpus, & magis crisim facit cum euacuatione manifesta per fluxum sanguinis narium, eruptionum hæmorrhoidum, mensium, per sanguinis exitum quandoque per fluxum biliosum ventris, vt Auicẽna testatur, subinde terminatur per sudorem, variolas, morbillos & inguinum apostemata, eritq́, crisis optima & laudabilis, signis coctionis præcedentib. Differunt quoque ex parte signorum. primò ex parte exeuntium, nam in synocho putri vrina est rubicunda vel subrubicunda, spissa cum liuiditate & fœtore. in synocho non putri neque liuida est neque fœtorem habet. In putri autem excrementa quoq. fœtent & naturali colore multum dissident. Sputum quoque subinde amarum est, cum sanguis facilè ad bilem vertatur. à substantialiter inhærentibus calor hic magis mordax est, in synocho simplici mitior. Ab actione læsa, pulsus hic est inordinatus & systole maior diastole.

Differentiæ causarum & signorum.

Suntq; accidentia hic vehementiora, dolor capitis magis vrget, vigilia plus æquo intensa, mentis alienatio, angustia & inquietudo maior. & ita signa quæ demonstrant synochum simplicem seu synocham vt barbari vocant, eadem denuntiant synochum putrem. Distinguitur etiam synochus putris ab ardente, habet enim hæc vnicam accessionem vt dictum est, & est continua, & quamuis videatur quædam esse conuenientia inter ardentem, synochum sine putredine & cum putredine, hæ vnicam habent accessionem. ardenti verò indicia sunt bilis copiosæ, in his autem sanguinis indicia, neque corpus ita est calidum & siccum, neque in his præcesserunt causæ multiplicantes bilem vt in ardente. At quibus modis distingues putrem synochum à non putri vide Gal.9.meth.cap.3.& quamuis sit mordacitas in tactu in synocho putri, acrior tamen est in ardente. Prognostica verò signa dicta scholia Obser.XI.de synocha inflatiua etiam huc transferenda ad synochum putrem. interim minus est periculi in synocho non putri, quàm putri: peccatum duplex maius est se solo ac fortius. quamuis minus fiant in corporib. macilentis, frigidis, siccis, sed potius carnosis, multo sanguine præditis, & qui calidis excrementis referti sunt, quiq; delicatè viuunt, & subito ex paupertate ad diuitias & delitias tum honores assurgunt, in otio prius viuentes, quiq; cibis diuersis ac ferculis multis delectantur, nobiles otiosi tum adolescentes teste Almanzore & qui dulcibus cibis delectantur in putrem quoque febrem facile incidunt. Synochus non putris quarto vel ad summum 7. bene maléue terminatur. Putris verò 7.11.14. modò non contingat error ex aquæ gelidæ potu ad 40. diem extendi poterit, vt quidam existimarunt. Si statim à principio ægrum exceperit fluxus sanguinis narium copiosus, vel sudor liberalior, vel alia euacuatio sensibilis, vel vna aut plures simul, virtute forti, salutem denuntiat

Distinctio inter ardentem & synochum.

Signa prognostica.

nuntiat & crisim perfectam. Nonnunquam tamen huius febris initio, ventris fluor oboritur, qui si magnus est & copiosus, vires ita dissoluit, vt postea coquendo morbo sint impares. Quòd si alui fluor fiat à multitudine materiæ, nec diutius perseueret, morbum facit breuem. si verò à maligna prauaq́; materia excitetur, subitò interimit. Soluitur quandoque hæc maculis quibusdam purpureis, in ambitu corporis erumpentibus, quæ si die critico post signa coctionis appareant, certam salutem, alias mortem portendunt. Si autem sanguis niger fluxerit, paucusq́; exierit siue lucidus siue subtilis, qui restringi non potest, arteriæ rupturam si saliendo exeat; venæ, si non saliendo, crisim symptomaticam aut superfluam aut diminutam, aut mortem festinam denuntiat. Talia si in quarto apparuerint crisim bonam, aut malam, in septimo: si in 11. *in* 14. *promittunt. Si statim à principio virtus deficiat, neque remedia rationabiliter à medico perito exhibita contulerint, & indies vrina magis confusa videatur, cor tremat, pulsus diuersus fuerit, calorq́; augeatur, sitis minimè extinguatur, lethale est. concoctionis signa aut tarda (vt in aliis febribus acutis continuis) morbum longum aut breuem fore denuntiant, & quanto vrina est magis intensa, ceteris paribus citius terminatur. Si itaque est vrina plurimum intensa, bona coctionis signa apparere incipiant, febris ad bonum citò terminabitur; si cum remissa, tardè & è contra. Si cùm vrina intensa, signa appareant cruditatis, breui admodum ad malum terminabitur, eoq́; breuius, si virtus dilabatur. at si cum remissa, tardiùs: sed vires in ea quoque potissimum spectandæ. Vrina alba in synocho mortem denotat. Hæc postea per exempla illustriora euadent.*

OBSER-

OBSERVAT. XVI. DE SYNOCHO PVTRI, LETHALI, IN PLEVRITIDEM deinde in pulmoniam conuersa.

IOHANNES Albertus, qui in insigni elephantis cōmorabatur, crebris potationibus deditus, facie rubicundiore, musica & cantione sese delectans, temperatura sanguineus, attamen cerebro debiliori, ab vxore separatus, in otio viuens, apud cauponem nunc habitans, ceruisia crassiore sese aliquando replens, cùm aliâs ab hydrope & ictero, cum de eius salute multi desperarent, deo adiuuante sanauimus. Hic verò cùm hæc scripta denuò recolligeremus, calefactus decubuit, & in fine Martij synocho putri correptus est. Secundo die morbo laterali affici cœpit, ad quem deflectens pharmacopola, eius opera vsus, venam non secuit, ita vt non diu post, malum in pulmoniam sese mutauerit; sputa cruenta tunc expectorabat, anxius erat, difficulter anhelitum trahebat; subinde insomnis, aliquando verò altè dormiebat, leuiter delirabat, inquietus erat. Nihil præter linctum ex syrupo de liquiritia & similibus illi præscriptum est. Post sextum ad eum accitus fui, aluum moderatè deiiciebat, signa cruditatis aderant, vrinæ tenues, paucæ, decolores. Cùm sectio venæ neglecta esset vel potius prætermissa, vix eam nunc præscribere audebam, sed quia cōsuetus, venam quidem aperire iussi sanguine nigro liuido corrupto effluente, sed pauco, cùm vires nunc satis deiectæ essent, ideò vt venam precluderet chirurgus mandaui. licet septimo videbatur melius habere, & vtcumq. sputa redderet minus rubicundiora, vrinæ tamen tenues permanebant. octauo peius habuit, spiritus rarus, an-

gustia

gustia maior, sputa minus exibant, febre post meridiem magis increscente. cumque vrina cruda permaneret & omnia in deterius vergerent, nono eum moriturum prædixi, remediis nullo modo quoque iuuantibus, & ita viribus deiectis, cum sputa amplius expectorare non posset, sub noctem mortuus est.

SCHOLIA.

Cvm hic in principio sectio venæ prætermissa esset, synocho increscente, quæ semper deterior est, ita vt in ea rarò fiat bona crisis, vrina alba permanente; non fuit mirum, etiam accedente morbo laterali & in pulmoniam conuersa, in quos morbos synochos maximè verò putris mutari solet vt diximus, minus hic admirabimur quod nono mortuus fuerit, cum neque medicum peritum ad se vocasset, cum & synochi sunt morbi acutißimi, maximi, & grauißimi, vt testatur Galenus. & quæ augendo procedit aliis deterior est. Quod autem talis rarò ad bonum terminetur, ob virtutis debilitatem & materiæ multitudinem fit, quæ paulatim inualescit contra naturam, & ideo plerunque lethalis est, & reliquarum febrium molestior ac deterior. Decrescentes minus periculosi, spem salutis propter contrarias causas pollicentur, eò quòd decrescendo procedant & paulatim minuantur. In eodem verò vigore permanentes, medio modo se habent. De morbis vulgar. com-mēt. 3. tex. 3.

OBSERVATIO XVII. DE FEBRE CONTINENTE SEV SYNOCHO PVTRI, cui exanthemata concomitabantur.

DIVES ille ζυθέψης Hadrianus Alovvinus Delphius, pro cuius ædibus duplex crux intersignum erat, qui ad forum Frumētarium habitabat, de quo

de quo etiam egimus obſeruatione prima huius libri, vir annorum triginta quatuor, die 14. Octobris anno 1562. in febrem continētem (quam ſynochum putrem vocant) incidit. Neque tunc medicum vocauit, ſed ſuo aut potius vxoris aut muliercularū conſilio, cum decoctum foliorum ſene ſumpſiſſet, aluus illi ſoluta eſt: at ſanguinis miſſionem poſtpoſuit, quæ tamen huic febri, quemadmodum & ſynocho non putri, vt antea dictum eſt, præcipuum remedium exiſtit, vt Gal. lib. 9. meth. cap. 4. ad longum docet. 17. verò die eiuſdem menſis, qui erat 4. dies ab initio morbi me prius coram vocauit. Facies illi tunc tumida erat valdè inflata ac rubea, licet tamen natura vtcumque bilioſus eſſet, pulſus maximus tum vehemens & celer. lotium quod tunc cōſpexi, quanquam poſt meridiem eſſet, valdè tinctum, rubrū & craſſum erat. ſic etiam Galenus non ſolùm mane lotium contemplari ſolebat, ſed illud quoque interdiu à prandio excretum, vt apud libellum De pręcognitione in Eudemi curatione, facilè quis percipere potuit. Ex ſignis ſic diſpoſitis animaduerti ſynochum putrem eſſe, quare confeſtim accerſito chirurgo, cum miſſio ſanguinis prætermiſſa eſſet, ac virtus mediocriter conſtaret ex vena interna brachij dextri ad vncias ſex ſanguinis detrahere mandaui. At ſanguine bene manante, animi deliquium cum incurrere videbatur, vlteriorem detractionem cohibui, cum & pulſus mutaretur, qui perfectus nuntius virtutis exiſtit: nam hæc ipſa virtus in ſanguinis miſſione potiſſimū ſpectanda, vt Galenus probè monet 9. meth. cap. 10. poſt duas autem horas à ſanguinis miſſione optimè dormiuit, ſudore è corpore emanante. Statim enim à venę ſectione, ptiſana epota ſudor è corpore manauit

& poſt

& post duas horas incidit in somnum suauissimum, vt se quodammodo à febre liberatum diceret, cùm sub noctem ad eum redirem, ita vt etiam nocte subsequente optimè haberet. Altero autem die à sanguinis missione manè cùm à febre & per totum diem quasi liber à febre videretur, sub noctem subsequentem, maximum sentiebat dolorem, qui per totam spinam vergebat, similiter & totius corporis lassitudinem, punctiones vehemẽtes, pandiculationes crebras, difficultatem anhelitus, narium pruritum: aliaque signa aderant, quæ ante eruptionem exanthematum apparere solent (ea enim in synochis ac febribus sanguineis solẽt superuenire) & cùm eo tempore synochi putres tum pestilentes quoque cum variolis & morbillis non tãtùm in pueris, verùm etiam in adultis grassarentur: exanthemata eruptura audacter prædicebam, neque fefellit me mea prædictio. Secunda itaque nocte à sanguinis missione natura leuior ac robustior facta pro residua materia expellenda, morbillos foras à centro ad circumferentiam expellebat, atq. paulatim morbilli per cutem erumpebant. sentiebat autem tunc puncturas artuum, qui decimo nono die Octobris, qui erat sextus ab initio morbi, magis sese dilatabant & manifestè videbantur. Die autem præcedente cùm in gutture valdè doleret, vt suffocari pertimesceret, morbillis nondum erumpentibus, hoc gargarismo vt vteretur iussi. ℞ Aquar. plãtag. lib.j. flor. rosf. rub. ʒ j. corticum granat. ʒ ß. bulliant vnica leui ebullitione, deinde colaturæ addendo diamoronis sy. granat. ana ℥ j. misf. pro gargarismate. Eodem autem die sub noctem etiam sequens præscriptum fuit. ℞ Aquæ plantag. lib. j. flor. rosf. rub. ʒ j. ß. ebulliant, col^æ. adde diamoronis ℥. iij.

G misf.

miſ. At cum ſpecillo argenteo guttur interius videremus, inflammatum erat, & columella ſimiliter inflammata & valdè laxata, ita vt radici linguæ lori inſtar oblonga incumbens propenderet. ſed ex gargariſmate melius habuit. Interim cum aluum nō ſponte deiiceret, glans ex pul. hieræ picræ ſimplicis ſale & melle cōfecta ſubmittebatur. Vigeſimo die Octobris qui erat ſeptimus ab initio morbi, cùm in gutture morbilli magis emergerent non ſine magno dolore ac calore, vt ſeſe ſuffocari clamaret; mandaui vt continuò cum lacte caprino & aqua plātaginis ſimul mixtis tepidè gargariſſaret: quod miraculi inſtar profuit. præſeruat autē maximè ab angina tum ſuffocatione. eſtque oris tum gutturis præſtantiſſimum remedium, cùm ſigna exanthematum ſe prodūt. Ad eandem quoque intentionem, vt ſyrupum granatorum ſæpius paulatim deglutiret, iuſſi. cū huius vſum mirabilem in tali caſu ſæpe expertus fuerim. Munit autem cor à putredine ac inflāmatione, ideo vt ſuccum quoque granatorum ſubinde caperet, admittebam. Deinde vt etiam pulmo, pectus, gula, intus à morbillis tuta forent, cùm ſimul anguſtia ac tuſſis adeſſent, vt continuò ex hoc elegmate lamberet, præcepi. ℞ ſy. granat. dulc. ℥ ij. zacch. penid. ʒ iij. ſy. ex infuſ. roſ. Diamoronis ana ℥ ß. Diadrag. frig. in tabul. ʒ iij. amidi puriſſimi ℈ ij. fiat elegma: ita profuit, vt in ſimili caſu etiam pro arcano haberem. Commodiſſimè autem vſi ſumus iis remediis, quæ ad ſymptomata variolarum valere cùm Guanerius, tum Blaſius Aſtarius Papienſis medicus ſcripſere. Oculos autem muniebam in principio lotione aquæ roſaceæ. Quomodo autem hi muniendi ſunt, cùm de variolis ac morbillis agemus, dicturi ſumus. Nares au-

res autem per attractionem aquæ hordei ex præscripto Benedicti Victorij Fauentini medici ac præceptoris mei quondam apud Felsinas charissimi, præseruabam. Cùm autem huic calor febrilis adhuc ingens adesset, Diatragacanthi frigidi in tabulis vsum frequentiorem admisi, & cùm ex ingenti calore syncopen metuerem, saccharum rosaceum perlatū administraui. Cibus huic sub noctem hordeatum hoc modo confectum. ℞ hordei mundati p. j. amigd. dul. ℥ ij. fiat hordeatum vt artis est pro lib. 1. & sacc charo violaceo dulcoretur, & eo loco cibi vtebatur subinde. Ceterùm cùm morbilli magis per cutim prodirent, decocto glycyrizæ, ficuum & hordei communis ad maiorem expulsionem vtebatur calidè sese in lecto continendo, & imperaui vt ignem satis luculentum, cùm morbilli erumperent in cubiculo in quo decumbebat, haberet. Medicamenta solutiua hîc non dedi postquam morbilli erupissent iuxta aph. 20. lib. 1. Hippoc. Quæ iudicantur & iudicata sunt integrè, neque nouare aliquid siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere. ad propulsionem tantum vsi sumus decocto ficuum. Potus huic erat ptisana ex hordeo mundato glycyriza. subinde & tenuis ceruisia, at minus gelida sed tepida cùm morbilli erumperent. post 7. crassiore victu vtentes, & 14. die perfectè curatus est, tunc enim concessi vinum Rhenanum aquosum tamen, ita vt paulatim morbilli exsiccati deciderent. Magna hic cum nostra laude præter opinionem quorundam sanatus est, quemadmodum alij multi qui synocho putri tum exanthematibus laborabant. Hic tamen licet sanus per multos annos pancraticè valeret, anno 1580. in timpanitem incidit, quam vnà cum Bontio medico

& professore Leydano difficilem curatu esse proponeremus, Paracelsistis fidem habuit, qui nec hydropem nec hepar læsum esse prædicarent, cùm ei intra 14. dies sanitatem pollicerentur, 13. die magna cum eorum confusione obiit. At de hydrope fortasse & de his latius.

SCHOLIA.

SYNOCHVS cum putredine cùm duplex sit, vna ex sanguine quidem putrido sed non adeò corrupto, altera synochus pestilens dicitur, quæ constitutione pestilenti in venis magnis putredinem adferre solet, & ideò hæc febris de qua nunc loquimur proximè ad pestilentem febrem accedebat, cùm eodem modo populatim plurimi ea afficiebantur, & omnes quidem malignæ ex putredine sanguinis ortæ per exanthemata terminabantur. Adeò enim in quibusdam sanguis deprauatur, vt non amplius ad habitum redeat naturalem, nec posit iterum per naturæ concoctionem ad primam humoris bonitatem redire. Denique per febres, qui detrahitur, in praxi quotidiana experientia sæpe animaduertitur non solum fœtidus & graueolens, sed & putridus adeò, vt nec sibi cohærere, nec concrescere queat, omnib. scilicet eius fibris consumptis: qualem sanguinem in Nacenburchio nostro amico Dordraceno cõspeximus acuta febre & continente decumbente, ex haud ita breui obiit. Synochus itaque, vt iam longa experientia edocti sumus pestis tempore plurimos inuadere solet, maximè verò iuniores & sanguineos: & huic febri tunc potißimum mala concomitantur symptomata, vt anhelitus difficultas, exanthemata, hydroa Latinis sudamina, ecthymata, morbilli, variolæ, erysipelata, anthraces, fluxus sanguinis narium, plurimis autem & aphtæ. Synocho etiam putri hæc mala signa quandoque obrepere solent, somnus profundus, lingua im-

Sanguis putridus graueolens extractus mortem præsagiens.

Quędã signa prognostica in synocho putri.

gua impedita, aut sermonis difficultas, gutturis inflammationes, anginæ periculosæ vt plurimùm suffocantes, tonsillarum inflammationes, earundem tum fauciũ apostemata & phlegmones, columellæ inflammatæ propendentes vel plurimùm laxatæ, ac lori modo oblongiores gulam præcludentes ac suffocantes, animi deliquium, mẽtisq́; alienatio, lachrymarum profluuia inuoluntaria, variolæ liuidæ, violaceæ, cutim valdè pungentes, quæ si & virides erumpunt nec æger se continere valeat, modò in hunc modò in alium locum se iactet, ventrisq́; inflatio, si talis adfuerit vt percutienti tympani sonum edat (vti puellæ eueniebat quæ ad templum diui Hippolyti *decumbebat) hæc moriturum plerumq; ægrum prænuntiant. maximè verò, si ex ventris solutione ventris inflatio non subsidat. Imposito quoque enemate, vt Sauonarola obseruauit, si æger non excreuerit,* Sauonarola. *pessimum signum est. & prauum admodum & sæpe lethale. Pustulæ quoque nigræ tum liuidæ, si appareant, mortem magna ex parte portendunt, rubræ verò magis salubres, si per eas virtus alleuietur, vt iuueni euenit cui in quarto purpuræ apparuerunt coctionis signis præcedentibus. qui in septimo à febre liberatus est, cuius febris sanguineæ etiam exemplum habes in muliere de febre sanguinea cum pulicari morbo apud Amatum centur. 3. cur. 23. At virides pessimæ sunt & maximè lethales. Iam quoq. in veternum seu soporem phrenitidi contrarium commutatur; si caput frigidis medicamentis sopitum fuerit: vel in phrenitidem si nimium incaluerit sanguine efferuescente in cerebrum transmisso, sæpe quoque in biliosam febrem & causon, vti de synocho non putri quoque dictum est. si ad pulmonem materia repat, pulmoniam: ad pectus, pleuritidem. Exanthemata nigra si in hac efflorescunt vel liuida, malignitatem magnam arguunt vti & vestigia plumbea perniciem præ se ferũt. Si post quartum mala signa increscant nec fe-*

brilis calor mitigetur, periculum adferre potest, si lingua aspera fuerit, aut aphtis nigris aspersa (vt iuueni Leydano euenit) si oculi refugiant lucem; si vrina nigra, liuida, vel obscura: hæc extremam perniciem minantur. At vbi hæc desunt, ipsáque febris magis magísque decrescit, is in tuto esse videtur.

OBSERVATIO XVIII. DE IVVENE CARNOSO SANGVINEO, IN VERE synocho putri seu continente febre laborante.

IVVENIS viginti quatuor annorum bonæ habitudinis, robustus, temperaturæ sanguineæ, tempore verno, (cùm eiusmodi febres incidere solent)in synochum putrem incidit. vrina rubicundior erat more solito, pulsus inordinatus, magnus, & capitis dolor eum affligebat. Cùm autem ad eum accitus essem & notæ huius febris manifestæ essent, ad curationem perficiendam, quæ potissimum consistebat in euacuatione & alteratione, cumq. prius euacuandæ erant materiæ communes, nam aluus planè adstricta erat, easdem enemate sequenti educere decreui. ℞ maluæ bismaluæ viol. bethæ lactucæ ana m.j. flor. viol. nimpheæ albæ ana p.j. hord. mundati p.j. prun. damas. numero IX. coquantur in aqua cõmuni pro lib.j.ß. cui adde cassiæ mund. pro clysteribus ℥ j. sach. rubei ℥ j. ß. olei viol. ℥ iij. salis contriti ʒ j. fiat enema & statim iniiciatur. Cùm verò non admitteret & in superioribus partibus grauitas sentiretur, fecibus per duos dies prius adstrictis, hoc leniente pharmaco vt aluus subduceretur prescripsi. ℞ cass. rec. tractæ ℥ j. dissolue cum ℥ iij. ß. aquæ end. sy. ex multiplici infus. ros. ℥ j. sy. viol. ℥ ß. mis. aut si bolo delecta-

delectaretur, præcepi vt sumeret ℥ j. cassiæ adiectis baccis oxyacanthæ contritis numero 4. fiat bolus. Altero die cùm feces communes eductæ essent, ad materiam propriam ipsius febris accessimus, quæ non alia via quàm sanguinis missione euacuatur. ideò ilicò sanguinem eduximus ex vena basilica brachij dextri ad libram vnam. Tertio, cùm sanguis facilè in bilem mutetur, vt putredo simul corrigeretur hunc syrupum propinauimus. ℞ sy. de acetos. citri oxizach. simpl. sy. viol. ana ℥ ij. aquæ endiuiæ cichor. buglos. vel borag. ana ℥ iij. sumat tribus vicibus. Quarto deinde cùm vrina coctionem præ se ferret, materiam biliosam expurgauimus, cùm sanguis putrefactus facilius in bilem quàm in alium humorem mutetur. ℞ rhab. selecti ʒ j. ß. schœnanthi ℈ ß. infunde in ℥ v. aquæ end. facta leui ebullit. (Guainerius practicus insignis infundit rhab. cum spica seu correct. in lacte caprarum in hac febre) fortiss. express. adde mannæ ℥ j. mis. fiat haustus, qua quinquies ad minus aluum deposuit. Quinto aperiendo obstructiones dedimus decoctum quod citra caliditatem & exsiccationem aperiret, vrinas prouocaret, ex rad. cichorij dentis leonis petros. asparag. maceratarum in aceto cum emulsione 4. sem. frig. maior. capill. ven. & similibus. Alij audaciores vt Holerius cum vino albo aquoso id præstant. Tutiùs tamen obstructiones aperit cum frictionibus vel oleo chamemelino. Postremò deuenimus ad alterantia, infrigidantia, roborantia, tam intrà sumptis quàm foras admotis. vt hoc vel simili epithemate: ℞ aquæ ros. lib. ß. viol. borag. ana ℥ j. ß. aquæ acetosæ nimpheæ ana ℥ j. omnium santal. corall. rubei ana ʒ j. ossis de corde cerui. ℈ j. caphuræ gener ij. croci ℈ j. aceti ℥ j. ß. pro corde fiat

cum panno vulgo ſcarlato dicto aut ſindone de grana. interim cauendum ne nimis actu frigidum cordi apponatur. ℞ aquæ end. lib. ß. aquæ roſ. ℥ iij. aquæ lactucæ cicor. acetoſæ ana ℥ j. omnium ſantal. ana ʒ j. ß. aceti ℥ j. ſpodij ʒ ß. ſpicæ nardi ad ſeruandum naturalem tẽporem partis ℈ ß. his commiſtis fiat epithema hepati tepidè ante paſtum. Caput etiã nempe frontem & tempora ob dolorem inunximus vnguento populeo & oleo nympheæ. Renes verò ad refrig. & alterationem cum vng. roſ. Intus verò exhibuimus Diarod. abb. vel triaſand. in tabulis & hoc condito ℞ conſeruæ rad. bugloſſ. ℥ ß. conſer. rad. end. cichorij acetoſæ ſcilicet folior. conſer. capill. ven. ana ʒ ij. Diamargar. frig. ʒ j. Diat. frig. ʒ ß. zach. roſ. cum perlis quatuor ß. cum ſy. de limonibus ℥ j. fiat conditum ſeu mixtura. vtebatur etiam ſola conſerua viol. & 14. die hic à febre fuit liberatus.

SCHOLIA.

De ſectione venæ.

GALENVS vt dictum eſt in vtraque ſynocho ſanguinem mittebat vſque ad animi deliquium, vt eo modo febrem ſubitò remoueret: nam duo in his febribus erant remedia, venæ ſectio, & gelidæ potus. & ideò in ſynocho non putri valido occurrebat auxilio, ne ſanguis qui nondum putris eſſet, putridus fieret, & ne ſynochus non peſtilens, peſtilens fieret. Auicenna quoque 4. cura. cap. 46. ſentit cum Galeno ad ſyncopen ſanguinem mittendum eſſe in his febribus ſanguineis; modò vires adſint. Cum Galeno etiam conueniunt Paulus & Aëtius. At Auerrhoës qui aliàs ſtimulus medicorum dictus eſt 3. Sui colliget reprobat euidenti ratione Galeni & aliorum in hac ſectione venæ opinionem, quæ rationes apud alios non parui momenti ſunt, tu poteris eas, ſi lubet videre: licet Gal. eam commendet tam

Auerrhoës.

det tam in ſimplici ſynocho quàm putri. vt in ſecundo infirmo lib. 9. meth. cap. 5. Sed hoc genus remedij (teſte Rondeletio cap. prop. de ſynocho putri) cœpit iam pridem eſſe ſuſpectum, neque enim tantum commodi habet, quantum periculi, cuius rei fidem facit ipſa experientia, & quorundam triſtis exitus, qui cum ex multi ſanguinis euacuatione, animo defeciſſent, nunquàm poſtea reuocari, aut ad ſeſe redire potuerunt. Quo quidem caſu nonnulli medici alioqui celebres, in ſummum dedecus inciderunt. Quapropter illa vacuandi ratio, vt temeraria, & periculi plena, ita nunc meritò damnatur. Longè igitur tutius eſt, quod à peritiſſimis medicis præcipi ſolet hodie, venæ ſectionem repetere, vel paulatim, & per interualla ſanguinis tantum auferre, quantum ægri conditio, morbiq́, ſtatus exigit, & ægri robur. Interim in hac curatione primas partes tenet venæ ſectio. & vult ipſe Rondeletius vt ſanguis ſine mora ſit detrahendus hic copioſior, quàm in altera ſynocho, vt inhibeatur putredo, & calor ex eo contractus, extinguatur. In qua ſynocho maior ſanguinis copia ſit detrahenda.

Alij ex ſynocho inflatiua ſeu ſynocho non putri, plus ſanguinis demendum eſſe ſuadent, cùm minor quãtitas ſanguinis putridi deducit corpus ad ſyncopen, quàm non putridi: nam cum ſynocho putri virtus eſt debilior, ideo in ea tanta quantitas non eſt detrahenda vt ſynocho non putri, vt conſtat apud Gal. 11. meth. cap. 5. Deinde ſanguis in ſynocho putri nõ ita aptus eſt euacuationi neq. tam facilè exit. Præterea minuenda eſt venæ ſectio in ſynocho putri, quia per ipſam, ſi fieret vſque ad ſyncopen, non ita citò & ſubitò ceſſaret febris: quia putredo non ita citò per ipſam remoueretur, neque ſanguis æquaretur. At in ſynocho non putri per ſectionem venæ ſubitò aliquando ceſſat febris, quia tollitur inflammatio vt dicebat Gal. 9. meth. neque fit putredo. verùm in ſynocho putri, plures exſpectamus criſes. Sed hic quoque conſiderandum cum ſynochus ſit duplex, Sauonarola.

In synocho pestilēti non est facienda venæ sectio ad syncopen.

vna citra pestilentiam, altera pestilens. at nunc sermo est de non pestilenti, de qua loquitur Gal.9.method. cap.3. in qua mittit sanguinem aliquando ad syncopen. At sanguinem euacuare in synocho pestilenti non est tutum, imò perniciosum: nam vires necessariò deficiunt in febre pestilenti, de qua fit mentio apud Gal.6.epid. sect. prima comment.2. de synocho pestilenti verba faciens in qua aderat nigredo linguæ & alia symptomata quæ febrem indicant pestilentem. & ideò in febre illa continente seu synocho putri, in qua postea exanthemata apparuere, de qua egimus Obser. 17. præcedente, vncias tantùm sex sanguinis detraximus, cùm fieret mutatio in pulsu, & minus quoque sanguinis, quia in quarto prius acciti eramus, imò vbi hæc ipsa in principio est neglecta. Vsq. ad septimum diem etiam potest fieri in synocho putri non pestilenti, nam & in Anaxione octauo die secuit venam Hippoc. 3. *De morb. vulgar. sic Gal. quoque vt prius dictum est scholia Obs.*12. *huius libri non solùm in sexta, septima, verùm in aliis quoque diebus venam secuit si vires admitterent, & neglecta esset. Profuit autem illa venæ sectio in* Hadriano Aloëtonio *de quo Obser.*17. *actum est. nam melius exanthemata postea prodibant. Quin & Amatus ipse in febre sanguinea vbi pulicare symptoma superuenit non veritus est ad lib.*1. *sanguinis ex vena media dextri brachij detrahere, cùm ingens ingruebat plethora, licet lethale signum pulicare symptoma esse solet, morbi malignitatem & sæuitiam protendens plus periculi in morbi principio minatur. Sanguine tamen extracto, à cuius flore & subtiliori parte exanthemata hæc oriuntur, natura validior facta, materiæ peccantis residuum per sudorem expulit, vnde ægrotans illa apud Amatum centur.* 3. *curat.*23. *sana euasit. Cæterùm synochi pestilentes in quibus etiam carbunculi apparent, vt malignæ & pestilētes tractandæ sunt, de quibus suo loco dicturi*

dicturi sumus: nunc ad synochos putres redeamus, quæ citra pestilentiam contingunt, in quibus copiosa semper facienda est phlebothomia modò vires ferant. Secundum remedium apud Galenum erat aquæ potus, quam nō dabat ante signa coctionis, de qua satis antea dictum est. quidam non desunt, vbi febris vehemēs est, qui velint quatuor libras aquæ gelidæ posse exhiberi, vt Auerrhoës gloriatur multos se frigidæ potu liberasse. Hæc magis conuenit in synocho non putri, quàm putri; & si aliquo modo danda esset, exspectanda est concoctio, & satius est cùm corpora nostra magis impura sunt, aliter ægrotantem tam adsumptis, quàm admotis infrigidare. ideò nec medici nostri in synochis maximè putridis balneis vtuntur, & in aliis sine putredine non nisi in declinatione, quibus neq. præceptores meos vti vidi. Quod si aqua frigida danda sit in synocho putrida vel putrescente, materia sit digesta neq. detur in principio aut augmento, & quidam tunc non exhibent puram sed mixtam cum oxyzach. (vt Bertrutius insignis practicus iubet) vel cum sy. acetoso, si materia fuerit magis viscosa, præmissa tamen venæ sectione & minoratione. cauendum quoq. ne sit apostema. neque stomachus sit debilis. Tunc maximè excusamur à potu aquæ frigidæ si corpus sit laxum rarum & minimè consuetum aquam bibere, vel vbi præcesserit venæ sectio largior, in principio, vel si febris mitigetur aut materia ex parte educatur per sanguinis profluuium narium, hæmorroidum, aut mensium vel per sudorem. Et ideò considerandum cum Galenus dixerit 9. meth. cap. 5. non semper conuenire frigidam in synocho. Si consideremus febrem ardentem & synochum? tutius dabimus frigidam in synocho quàm in ardente. Nam in synocho corpus est robustum, calidum & humidū, quod facilius potest ferre frigidam. contra verò in febre ardente, vires non sunt ita validæ, corpus est calidum & siccum, vnde & gracile corpus, non ita su-

Aquæ potus.

Vtrum in synocho vel ardente febre magis conueniat aqua frigida.

ita sustinet potum aquæ frigidæ, vt carnosum. Galenus tamen magis solet extollere frigidam in febre ardente, quàm in synocho cum putredine: Quæ est causa huius? Dicit Gal. 9. meth. 5. Dum synochus est cum putredine, vel fuit secta vena, vel ob negligentiam medicorum omissa. si secta: non licet dare frigidam. si non fuit secta, opus erit frigidam exhibere. Nam secta vena & sanguine in magna copia emisso, habitus totius corporis refrigeratur nec indigemus amplius magis frigida, ne corpus plus æquo refrigeremus. Vbi intermissa est venæ sectio, summus adest feruor in hac febre, quia putrescit materia in vasis magnis, estq́ue putredo assidua & maximè incalescit habitus totius corporis, & propterea egemus valido auxilio, vt ad frigidam sit deueniendum. At in febre ardente, in qua maior feruor est, qui non ita potest extingui per venæ sectionem, neque in ea licet tantum sanguinis euacuare, & quantumuis vena aperiatur, perseuerat tamen feruor, multoq́ue maior & intensior quàm in synocho. Interim in synocho pestilenti nullo modo gelida danda est, vt latius suo loco de febribus pestilentibus dicturi sumus.

OBSERVATIO XIX. DE PVELLA A FEBRE SYNOCHO PVTRIDA continente per fluxum sanguinis narium curata.

PVELLA tredecim annorum, quæ licet minimè obesa esset, apud ædem diui Hippolyti Delphis ad necem vsq. febre sanguinea aut putrida synocho decumbebat. Huic, cùm neque medico vsa esset, septimo die sanguis largissimè è naribus prorumpebat. Eodem tempore fortuitu ad aliam puellam ex fluxu ventris ad desperationem laborantem accessi, quæ in iisdem ædibus simul laborabat, etiam & hanc

quoque

quoque ſynocho correptam inuiſebam. Cumque in ea animaduerterem ſanguinem copiosè è naribus manare, atque ipſam vſque in ſeptimum diem abſque remediis morbum toleraſſe, nihil tentandum ne nunc quidem dicebam, ſed totum negotium naturæ eſſe relinquendum, imò ne ſanguinem fluentem impedirent, imperaui: quo factum eſt vt poſt fluxum illum enormem, qui in ſeptimo contingebat, præcedentibus notis coctionis in vrina, à febre validiſſima præter opinionem aſtantium liberata fuerit.

SCHOLIA.

QVOD *etiam in gracilibus corporibus, vti huic puellæ euenit, hæc febris fieri poſsit, iam antea dictum eſt. quæ cum plethora afficiebatur, quæ ſanguinis profluuio, non tantùm fuit diminuta, imò felici ſucceſſu, à febre liberata eſt: ita vt illud dictum Galeni verum ſit, niſi iis ſanguis in principio auferatur quantum vires tolerare poſſent, ſcilicet ſynocho laborantibus, ferè vt vel ſuffocentur, vel certè ſyncope prehendi omninò periclitentur: niſi (vt dictum eſt) eos vel virium robur, vel plurimus ſudor, vel largum ſanguinis profluuium, à morte vindicet. quanquam hoc in corpulentis magis verum ſit, etiam in bilioſis, vbi aliquo modo plethora acceſſerit, & ſynocho corripiantur, eodem modo euadunt, vt huic puellæ contigit.*

OBSERVATIO XX. DE MVLIERE SANGVINEA FEBRE SYNOCHO PVTRI correpta, quæ menſium fluore deſiit.

MARIA Hoeckia, cui & Verlania cognomen erat, non à nobilitate ſed à via, quæ directè itinerantes ad domum in qua prope ſuburbium habitabat,

bitabat, ducebat. Alcmariæ autem commorabatur, eratque mulier triginta annorum, si quæ altera potui dedita, quæ & faciem Bacchi instar pustulis rubeis repletam haberet, qualis facies in potatoribus plærunque, gemmis tum carbunculis atque rubinis, referta, cernitur. temperatura erat sanguinea etiam admodum faceta. Hæc ex plethora in febrem sanguineam continentem putridam seu synochum incidit valde periculosam; cui tunc facies duplo maior quam antea inflata erat, vt præ tumore cutis quasi rumperetur, venæ in ea tumidæ conspiciebantur & supra modum extensæ: & vt summatim dicam mulier hæc tota quasi ex plethora intumescebat, lotium autem crassum rubrum ac fœtidum emittebat, & cum rubore subliuidum, & valde confusum. Pulsus huic aderat frequens & plenus; erat enim bona habitudine & valde crassa ac corpulenta. Ad quam secundo die ægritudinis accedés, ilicò eodem die cum excrementa per se deposuisset vltra libram sanguinis ex interna brachij dextri vena secta fluere permisi, & postea hunc syrupum ebibere iussi. ℞ sy. acetosi simplicis de acetos. citri de limonibus. ana ℥ ß. aquar. end. cicor. borag. acetosæ ana ℥ j. misce. & frigidum bibebat. Elapsis verò tribus horis hordeatum pro victu habuit. Pro potu vtebatur ptisana ex hord. mund. solo tum glycirriza concinnata. Nocte autem subsequente placidè quieuit & statim à missione sanguinis optimè quoque sudauit. Mane autem cum sudorem forte non benè detergeret, vestibus quoque à lecto ob calorem nonnullis depositis, dolor quidam eam inuasit in latere dextro, & cæpit parum tussire. Vergebat autem dolor magis ad ventrem. illa pleuritidem metuebat: locum verò dolentem inunximus vnguen-

vnguento reſumptiuo: & cum eo die aluum nõ reddidiſſet, diacatholici (ab aliis ob id catholicum dicitur, quaſi vniuerſale, quod non ſit vni humori deſtinatum medicamentum, ſed in ventre, ſiue ſit bilis ſiue pituita, ſiue feces, expellit citra calefactionem: ideò confert maximè acutis & peracutis morbis, emollit enim, alterat, & communia excrementa ventris, partim lubricando, partim attrahendo euacuat, roburque addit iecinoroſis, & lienoſis, & rectè catholicon dici poteſt, cum medicis in omnibus laxantibus in frequentiſſimo vſu ſit ℥ j. cum ℥ iiij. ſeri lactis (quia ruſtica nec diues hæc mulier erat) exhibuimus. ex quo medicamento plurima excreuit, prius feces, deinde multa bilioſa & corrupta, & dolor mitigatus eſt. Sed poſt mediam noctem ſubſequentem, valde inquieta fuit, & quarto die mane cum redirem vrina vinea erat craſſa, obſcura & confuſa ac perturbata, febris acumina tum deliria aderant. antequam tamen hæc ſigna obreperent, prius lotium rubicundum habuit, quod coctionẽ arguebat, quamuis nunc valde craſſum obſcurum & vineum ſpectabatur: eodem quoque tempore ſimul & tenſio, & dolor, & grauitas lumborum effatu digna ægram premebant. Præſagiebam ex iis morbum per menſtrua poſſe finiri: nec fefellit nos prædictio, nam quarto die videlicet ab initio morbi ſub noctem cum ab aſtantibus, & ad eam ingredientibus pro deplorata haberetur, menſtrua fluere cæperunt, quæ vſque ad ſeptimum diem copioſiſſime fluxerũt, calore febrili adeo diminuto vt in ſeptimo eam febris reliquerit. vſque ad ſextum fere diem pro potu ptiſana vtebatur, in ſexto autem ceruiſiam tenuem conceſſi: à vino verò omnino abſtinuit, in cibo ſumebat poma acida aſſata &

zach.

zach. aſperſa, pruna Damaſcena in aqua zacharata cocta & ſuffocata. Poſtea etiam huic cibus panata erat cereuiſiaria ex tenui ceruiſia pane intrito & pauco ſaccharo adiecto, butyro valdè exiguo ne nauſeam faceret. & ita maxima cum laude Deo adiuuante à febre ſanguinea vehementi in ſeptem diebus præter opinionem multorum ſanata eſt.

SCHOLIA.

CVM tertio die nebula in lotio hic appareret, deinde in quarto menſes fluere cœperunt, hæc mulier in ſeptimo die decretorio curata fuit. eratq́; hæc criſis perfecta ad ſalutem in febre ſanguinea, quæ commodè hoc modo ſæpius terminare ſolet, vt priùs dictum eſt. At alteri mulieri hoſpitæ aliter euenit, nempe vxori Petri Boni Delphenſis, nunc in Hagha Comitis decumbenti, in hoſpitio, cui Gorcomium nomen erat. Hæc autem mulier craſſa, corpulenta, ſanguinea, boni habitus, vino indulgens vt magnatibus, tum capitaneis, qui in hoc diuerſorio verſabantur, complaceret, in ſynochon putrem ſiue ſanguineam continentem grauiſſimam lapſa eſt. In principio venæ ſectio fuit neglecta, quanquam ſecundo die morbi menſes fluere cœpiſſent, & ſexto non amplius fluentibus nihil commodi ex iis habuit, nam febre aucta, modò ſopore, modò delirio detinebatur, inquieta iacebat. Septimo die ad eandem prius accitus cùm de vena adhuc ſecanda mentionem facerem, deliberatum eſt vt die ſequenti nempe octaua fieret. vena itaque in octaua ſecta eſt, & videbatur aliquo modo melius habere. nono die plurima minxit ſed cruda, febre magis augeſcente; decimo die omnia peiora, & cùm lotium tenue ac crudum maneret, neque ſubſideret; in vndecima morituram prædiximus: cum ſymptomata viribus deiectis magis magisq́; ingraueſcerent. Quamuis natura tentabat per menſes

Criſis bona.

menses febrem sanguineam, vena in principio non secta, finire: fuit infida crisis & potius symptomatica, nec in quarto nec in septimo signis coctionis in vrina apparentibus, quare & 11. mortua est, & ob sæuissima symptomata viribus deiectis ad 14. diem peruenire non potuit. Hæc mulier cùm adhuc iunior esset, gracilis erat, at nunc hospita multis annis, valdè crassa & corpulenta euasit, quod & œnopolis, & aliis qui in hospitiis vitam consumunt ac liberalius vinum Rhenanum bibunt, tam viris quàm mulieribus, vt longa experientia videmus, euenire solet. Vulgo creditum est quod vinum Rhenanum valdè nutriat, quamuis sit aquosum diureticum, quæ minus nutrire solent: an hoc contingat ex cõtinua & larga potatione vini Rhenani considerandum: an vnà eueniat quòd tales in otio viuunt & diuersis ferculis iisq; delicatis sese replent, non minus quàm vino largiore vtuntur? Quicquid sit, tales, vt iam anteà dictum est, siue sint viri seu mulieres, continentibus & sanguineis febribus obnoxij sunt, quibus & præstantissimum remedium est, vt copiosè sanguis statim mittatur. Crisis mala atq. lethalis.

OBSERVATIO XXI. DE PVERO SEPTEM ANNORVM EX FEBRI synocho putri quarto die obeunte.

PVER septem annorum, optimi habitus, natura sanguineus, satis obesus & vtcunque densus, qui Delphis ad forum frumentarium habitabat, in domo illa, quæ aratrum pro insigne habebat, hic in fine veris in synochum continentem putridam semper accrescentem & peracutam lapsus est. ad quem translatus duobus diebus perueni. Huic facies tumida & valdè rubicunda erat, pulsus magnus, frequens & velox. valdè inquietus erat, circa præcordia dolens, capitis ingenti dolore fatigabatur, calor qui ad

tactum primò mitis, deinde multò acrior insurgebat, & continuò augendo puerum affligebat, os non ita amarum erat, sed dulcedinem quandam percipiebat, vt puer narrare potuit. Lotium ad rubedinem quandam & crassitiem tendebat; calor febrilis eum non demittebat, imò semper augebatur, vt dictum est: ita vt ex his signis prædictis animaduerterim (quæ aderant) puerum synocho putri semper accrescente laborare. Quare vt paucum sanguinis ex vena detraherem, aut vulneri hirudinem admouerem, parentibus proposui. Qui cùm in puero id minimè concedere volebant, nec secundum admittere medicum, quem libenter in morbo tam difficili ac re ambigua in socium habuissem, qui fortasse hoc vnà mecum suasisset: nam duo oratores plusquam vnus melius perorant. Nihil tamen efficere potui. Quamobrem ℥ ij.ß. sy.rof. solutiui cum ℥ iiij. seri lactis exhibui: qua potione benè excreuit quamuis inde nihil iuuaminis puer habuerit, quemadmodum nec à refrigerantibus aut alterantibus medicamentis: ita vt quarto die ex vehementissima febre, vti prædixeramus, mortuus sit puer.

SCHOLIA.

FORTE *puer hic, nisi parentes obstitissent, detracto sanguine euasisset. non sine ratione hoc proposueram, in hoc imitando celebriores medicos, qui etiam in pueris tutò venam secarunt, quemadmodum & doctissimus Amatus probat centur.* I. *curat.* IO. *in puella septem annorum simili febre laborante, cui secta fuit vena iecoraria ad vncias sex sanguine effluente. Vbi verò non fluit, vulneri hirudinem admouemus vt inde sanguinem trahat, quousque sua sponte excidit; & vbi casus maiorem postulat euacuationem,*

Num in pueris sit secanda vena.

tionem, aliam hirudinem subiungimus. & ita quidam celeberrimi contra dogma Galeni & Græcorum venam in pueris nondum 14. annum attingentibus mittunt, Arabibus adhærentes, vt Abinzoar medicus Arabs filio suo trimo venam secuit, in eo libro qui De sanit. tuenda ab eo inscriptus est. licet Galenus, vt Amatus existimat, intellexit de magna euacuatione quæ in pueris non sit facienda. At quæ vires decernit atque exigua sit tuta esse potest. quæ Cornelius Celsus lib. 11. cap. 10. noscens, inquit: Interest enim non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint: firmus puer & robustus senex & grauida mulier tutò curantur: quinimò sæpè lactentes infantes vidimus, quibus sanguis è naribus absque noxa vlla effluit, vt iure etiam in pueris validioribus aut tali febre laborantibus venam pertundere aut saltem hirudinem apponere imperemus. sic & nos in pueris nouem annorum pleuritide laborantibus vel vndecim annorum robustis, sanguinem aliquando commodè detraximus. De his vide plura exempla apud Amatum: interim præstat vt parentes id facilius admittant & vt nos ab omni calumnia tuti esse possimus, maximè si ditiores sunt, vt secundus aut tertius adferatur medicus, vt cõmuni cõsilio hæc fiant, maximè apud nostros qui potius Empiricis quàm optimis medicis fidem habeant.

Abinzoar.

Cornelius Celsus.

OBSERVATIO XXII. DE FEBRE putrida continente vel sanguinea, septimo die fluxu sanguinis narium terminata.

IVVENIS robustus, niger, compactæ carnis, musculosus, ætate viginti annorum, qui ad partem Borealem ciuitatis Delphensis habitabat, cùm in continentem febrem putridam incidisset tempore verno anno 1572. Ad hunc accitus sumpta indicatione à vehemẽti febre & ab abundantia humorũ corporis,

cùm vires validæ forent, & ætas iuuenilis permitteret, & tempus vernum adesset, copiosè sanguinem detrahere iussi ex vena media quæ in brachio dextro optimè apparebat. à qua detractione sanguinis multùm adiutus, calor febrilis nondum tamen cessabat. ideò secundo die bolum ex cassia fistulari comedit & benè aluum deposuit. Tertio die iulebum præscripsimus ex aqua cicor. borag. lupul. ana ℥ iij. oziz. simplicis sy. viol. de acetos. citri ana ℥ j. misc. pro iij. dosibus. Quarto die cùm ventrem lubricum satis haberet conditum sequens in officina fieri mandauimus. ℞ conseruæ ros. ℥ ij. bugloss. ℥. ß. pul. triansan. Diatragaccanthi frig. ana ʒ ß. zach. ros. iubulati ad duplum pondus omnium. At in quinto die lotium subsidebat & signa coctionis apparebant. In sexto verò vigilia tenebatur & subortus est capitis dolor ingens, idque præcedentibus signis concoctionis cùm appareret tensis hypochondriis, facie tota rubescente, venis circa caput distentis & arteriis multis pulsantibus, noluimus vti refrigerantibus supra caput vel oxirhodino neque iis quæ somnum prouocarent, vt est syrupus de papauere, ne fluxus sanguinis è naribus (qui solet has febres magna ex parte terminare vt dictum est) impediatur. Tunc enim satius est expectare diem sequentem, vt fecimus, in quo natura etiam cæpit expellere materiam: nam septimo die sanguis copiose è nare dextra fluxit, & à febre in totum liberatus est.

SCHOLIA.

Quæ crisin quandoque impediant.

LICET *huic dolor capitis ingens cùm vigilia in sexto appareret, à refrigerantibus tum somniferis abstinuimus, cùm talia medicamenta possint crisim impedire,* quod

quod & lippis & tonsoribus manifestum est. eadem ratio quoque adhibenda est si dolor sit in lumbis & inguinibus, ita vt hæmorroides vel menses fluere incipiant, ne renes vnguento rosaceo vel infrigidante Galeni inungamus, ne naturæ impetum impediamus, maximè verò in his febribus, quæ hoc modo terminari solent ad salutem, maximè notis coctionis præcedentibus.

OBSERVATIO XXIII. DE SYNOCHO PVTRI SEV CONTINENTE cum variis accidentibus.

GENER Domini de Romamnilla anno 1545. sub finem Iulij canicula æstuante in putridam febrem continentem seu synochon putrem lapsus est, vir robustus ac miles. Hic ad se vocauit vulnerarium medicum, qui illi venam internam pertundit, sanguinemq. detrahit non præsente medico, quamuis bona fortuna id faciebat. vehementissime capite dolebat & toto corpore grauabatur, & cum ventrem non bene deponeret, tandem mulierculæ quædam astantes iusculum quoddam, in quo succum cataputiæ miscuerant, propinarunt, morbo crudo existente: vnde febris aucta, deinde fluxu enormi oborto cum multis torminibus & anxietate, qui continuò durauit per duos dies, ita vt in ingentem stomachi quoque dolorem inciderit: tandem re quasi deplorata me ad ægrum vocarunt. Eo tempore autem in Gallia praxim exercebam in vrbe Pithueriensi non procul ab Etampis. Vir autem hic nobilis in villa extra vrbem decumbebat, ad quem ingressus, pulsum quidem celerem sed etiam debilem repperi, fractis viribus, ex fluxu alui, quæ vi cataputiæ iam biduum ferebatur.

nonnunquam huius febris initio ventris fluor oboritur, qui si magnus est & copiosius, vires ita dissoluit, vt posteà coquēdo morbo sint impares. quòd si alui fluor fiat à multitudine materiæ, nec diutius perseuerarit, morbum facit breuiorem. Verùm hic fluxus non vltrò obortus, sed violenter & præter rationem inductus, medicamento venenoso & fortiter attrahente. cùm eadem potentia qua tithymalus emicat insignita sit vt refert Dioscorides lib.4.cap.161.ideoque ad abstersionem medicamenti venenosi, (cuius venenum villis stomachi ac intestinorū inhærebat, vnde auget dolorem ventriculi, ac intestinorum præbet tormina) abluens hoc medicamētum præscripsi. ℞ decort. hordei communis ℥ iij. sy. ex infus. ros. ℥ j. mis. Cibus erat lac amigdalatum. Vires autem refocillare cogebar galli contuso exigua agresta admixta. Capiti autem adhuc dolenti oxirhodinum admoui. Præterea ex hac tragea subinde sumebat. quæ habet speciem Diatragac. frig. Diamarag. frig. species Diarrhod. abb. ana ℈ ij. coralli rub. pul. ℈ j. species pul. confect. cord. ℈ ß. zach. manus Christi cum mergaritis ℥ j. ß. mis. Stomachum tum ventrem inunximus oleo ros. ompharino myrtheo & ex cotoneis. & cœpit fluxus cessare, & calor febrilis diminutus est, vt præter omnium spem etiam à febre fuerit liberatus. Quamuis autem dolor stomachi tum cordis angustia cessassent, quæ symptomata aucta erant, non ob febrem, sed potius ob medicamentum violentum assumptum, pectoris dolor cum tussi hominem torquebat. pro quo symptomate mitigando etiam hæc præscripta sunt ℞ specier. Diatrag. frig. ʒ j. ß. dissolutis in aqua vngulæ caballinæ adiecto zach. albiss. q. s. fiat confectio in tabulis. ℞ ol. viol.

amigd.

amigd.dul.ana ℥ ß. pingued. gallinæ, butyri recentis ac loti cum aqua viol. pingued. anseris ana ʒ ij. ceræ exiguum, fiat linimentum molle pro pectore. quibus deinde tussicula cessare cœpit, vt intra septimũ diem tam à febre quàm ab aliis omnibus accidentibus vtcunque liberatus mediocriter sanitati restitutus fuerit. Interim mandaui vt diæta conualescentum vteretur, ac equum ascendens vnà cum famulo Pithuerim reuersus sum. Verùm tribus postea elapsis diebus, malo vtebatur regimine viuendi (vt milites solent) ac denuo in febrem incidit vnà cum ventris constipatione. Hic rursus muliercula astans nescio quæ glandem ex radice betæ succo cataputiæ ac sale confricatam ano non sine magna molestia imposuit. At à glande subdita dolor ingens in ano obortus est, neque extrahi potuit cùm ad interiora fortiter demisisset. ita vt ex dolore tum vigiliis accedentibus, virtus magis prostrata fuit, & tandem consilij inopes me reuocarunt. Sed enemate iniecto ex iure pulli cui malua & violæ folia incocta erant ac pruna, vncia vna cassiæ adiecta, tum duobus oui vitellis, sale admodum exiguo, & oleo violaceo, non tantùm aluum deposuit, & varia excrementa tam biliosa deiecit, sed vnà etiam radicem betæ, quæ perperam imposita erat, & dolore sedato, ac febre deinde diminuta rursus bene habere cœpit, quamuis aderat adhuc tussis exigua, pro qua mitiganda hoc elegmate vtens, tandem sanitatem consecutus est. ℞ sy. viol. ℥ j. ß. sy. capill. ven. ℥ j. zach. viol. ℥ ß. zach. penid. ʒ vj. sy. intubæ ℥ ß. nucleorum pinearum recentium ac amigd. dul. depilat. prius maceratarũ in aqua vngulæ caballinæ & commistis in ana numero vij. probè cõmixtis fiat elegma. sumebat lambendo vt arteriaca solent.

SCHOLIA.

PLVRIMVM *refert quales astantes & ministri apud ægrotos sint, si enim tales apud nos essent quales ab Hippocrate diuinissimo in libro de decenti ornatu describuntur, rectè admodum cum nostris ægrotis ageretur. Nunc sæpè contrarium euenit vt mulierculis ineptis id negotium committatur, quæ neque ea agunt, quæ medicus mandat, sed sua remedia quamuis inepta, imò potius venena miseris ægrotis obtrudunt vt alias latius docuimus contra nostri temporis Empiricos. At non solùm in febre continente, verùm etiam in quauis alia continua, symptomata grauiora, quæ obuenire solent quæq; febrem sequuntur, vt plerumque in febribus continentibus, hæc sunt, vt dolor capitis, sitis vehemens, delirium vigiliæ, & in quibusdam somnus profundus, aluus citatior vel planè astricta, quæ omnia, maximè si vires prosternunt, aut plurimùm obsint, horum quoque ratione aliquid faciendum. Dolor capitis mitigatur oxirhodino oleo viol. nemphar. lacte muliebri recenter mulso & aliis refrigerantibus, quibus & superflua vigilia tollitur, si nihil aceti recipiant. nam acetum vigilias inducit. sed quia repellunt à capite, considerandum ne iis vtamur vbi sanguinis fluxus criticus per nares exspectatur, vt præcedente scholio dictum est. Ad sitim valent potiones, inspirationésque aëris frigidi, syr. viol. conser. eiusdem, iuleb. viol. ex viol. aqua. Si fluxus, valet conserua ros. Si astricta, violacea, pro lingua scabra muccago coloneorum cum aqua ros. vel viol. extracta adiecto zach. ad formam lincti. Si deliria, recurre ad ea quæ de phrenitide dicentur. Sed cum de his omnibus lib. 7. dicturi sumus satis est hæc nunc admonuisse. & licet in magnis alui fluoribus, vtiles sint opiata constringentes, ne vires omnino labefactentur, aliàs non licet vti multum constrin-*

Mulierculæ ægris adsistere nô debêt cum medicorũ imperata negligant.

Symptomata febrium non sunt postponéda.

constringentibus aut astringentibus, cùm hæc ipsa criticas excretiores impediant. quæ in his febribus, vt nunc exemplis ostendimus, frequenter contingunt. Egimus igitur de diariis, quæ vnum diem non excedunt, deinde de iis quæ plurium dierum dicuntur, postremo de synochis & continentibus dictis, quibus hunc primum librum finiemus. De aliis continuis, quæ integrum librum requirunt, libro sequenti dicturi sumus.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBRI PRIMI ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 16. *linea* 1. prouidi, *lege* proinde. *pag.* 17. *lin.* 24. his, *lege* hic. *pag.* 26. *lin.* 12. Fornelio, *lege* Fernelio. *pag.* 54. *lin.* 10. Kerchirecticam, *lege* Kerckvvervviam. *pag.* 64. *lin.* 16. permansissem, *lege* permansisset. *pag.* 66. *linea* 20. Cœnobiustæ, *lege* Cœnobiarchæ. *pag.* 67. *linea* 30. annuam, *lege* nimiam. *pag.* 72. *in margine è regione lin.* 5. sparchis, *lege* synochis. *pag.* 77. *lin.* 7. sebestum, *lege* sebesten. *pag.* 77. *lin.* 12. colæ, *lege* colaturæ. *pag.* 81. *lin.* 29. Pithnecos, *lege* Pithueros. *pag.* 83. *lin.* 12. hine, *lege* huic. *pag.* 100. *lin.* 23. Nacenburchio, *lege* Nucenburchio, *& linea seq.* ex haud, *lege* ex qua haud, *&c.* qua *omissum est.* *pag.* 103. *linea vltima* genet, *lege* grana. *pag.* 104. *lin.* 12. condito, *lege* conditum. *pag.* 106. *lin.* 20. Aloëronio, *lege* Alervvino. *pag.* 112. *lin.* 14. Boni, *lege* Boui.

AD LECTOREM.

SVNT quibus est studio, cælestia corpora nosse,
Ingenij captus sæpe quod ipse negat.
Omnis at hoc spectat studiosi cura Foresti
Vt sibi sint hominum, corpora nota probè.
Hinc methodo facili docet hac, doctáque cauendæ,
Sint quoque curandæ, qua ratione, febres.
Quod bene quò dextrè, certò faciatq; scienter
Turpiter ignauum non sinit ire diem.
Scrinia compilat Coryphæôn arte medendi,
Et nihil occultum sustinet esse sibi.
Tãtus amor primũ varios cognoscere morbos,
Auxilio summi tollere deinde Dei.

Iaſ. Lang. Hyp.

CLARVS *Pæoniâ Foreſtus arte*
Præſtantis ſpecimen ſui dat iſto,
Illuſtre ingenij ſenex labore.
Hunc non barba probat, nitórue veſtis
Commendat, monet annulus verendum
Reſplendens adamante, ſeu coruſcans
Qua vel cunque aliâ micante gemmâ.
Vt paſſim medicantium videre eſt,
Annonam nimis obuiam atque vilem:
Queis tantùm ſtudio, leui popello
Cæco iudicio ferè probanti,
Damnanti quoque plurima imperitè,
Mirari, celebrare vbique taleis
Sueto, decipier, dolúmque amanti,
Se comto benè venditare cultu.
At doctrina, fides, labor, Foreſtum
Ætas, quam medicando longa triuit,
Vſus continuus, ſcientia artis
Annorum ſpatio illa plurimorum
Confirmata iubet, quod ipſa dictans
Extorquet ratio, proin ferendum
Multa laude & honore, præmiiſque
Ornandum meritis. Sit ergo & inter
Ponendus numero, gregiſque Myſtas,
Heroáſque ſui ordinis colendus,
Clarus Pæonia Foreſtus arte.

Iaſ. Lang. Hyp.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM DE FEBRIBVS CONTINVIS, LIBER SECVNDVS.

PETRO FORESTO ALCMARIANO MEDICO AVCTORE.

OBSERVATIO I. DE FEBRE PVTRI CONTINVA, IN IVVENE *bilioso quamuis robusto.*



IVVENIS biliosus circiter annorum viginti quinque, licet robustus ac rusticus, cum tempore verno à cibo, opere rustico valdè intentus esset, in febrem continuam eamque putridam incidit: capite dolebat, os amarum erat, sitique valida premebatur, multum ceruisiæ tenuioris vltra modũ bibebat. Secundo die à morbi initio ad hunc accitus fui mane, ad quem accedens cùm aluum strictiorẽ haberet, minoratiuum medicamentum sequens propinaui. ℞ Electuarij lenitiui Diacatho. anā ℥ iij. syr. Ros. Solitiui ℥ ij. aquæ cichorij ℥ iiij. quo multa biliosa euomuit, simulq. ter aluum excreuit, quæ etiam biliosa spectabantur. Sequenti verò die vnciæ octo sanguinis ex vena interna brachij dextri extractæ sunt, cum robustus esset & bene ferret. Hora quarta pomeridiana hunc syrupum ebibit. ℞ syr. de endiuia viol. oxizach. simplicis ana

cis ana ℥ ß, aquæ lactu. cichorij endiuiæ ana ℥ j. misc. Pro capitis dolore, licet nunc remissior erat, oxyrodinum tamen fronti apposui. Cumque malè dormiret tempora inungebam sub noctem oleo viol. & papaueris simul mixtis: postea cum à sanguinis detractione aliquantulum sudasset, & benè egessisset, quarto die melius habere visus est. quinto autem die cum signa coctionis in vrina apparerent, neq. aluum deponeret Rhabarbari infusum sequẽs dedi. ℞ Rhabar. selecti (erat enim hic rusticus satis diues) ʒ j. ß. spicæ ℈ ß. infunde per noctẽ facta prius leui ebullitione in ℥ v. aquæ endiuiæ, fortissimæ expressioni adde syr. ros. solutiui ℥ ij. misce, quo optimè excreuit ita vt febris sexto die minus illum affligeret, & vrina crassior facta valde subsideret. septimo autem die, per sudorem crisis subsecuta est, & sanitati restitutus fuit.

SCHOLIA.

HAEC erat febris continua putrida, licet proximè accederet ad continentem: nam vnà cum bile etiam sanguis ex maiore parte superabat, cumq; continuò affligeretur æger, febre vix remissa sub noctem: tamen cùm esset biliosus ac bilem euomeret ad continuam eam referre libet, licet ad continentem accederet & ad synochon putrem. de quibus quidem febribus cum satis dictum fuit libro præcedente, nunc autem de continuis putridis sermonem habituri sumus. Agemus itaque de ea febre, quæ Latinis continua, Græcis συνεχὺς dicta est, quæ non antequam ex toto fuerit soluta, ad infebricitationem desinit, remissionem tamen aliquam sensilem in singulis accessionibus obtinet. Vnde omnibus perspicuum fit (vt antea admonuimus) σύνεχον καὶ συνεχῆ, hoc est continentem & continuam febres inter se differre. Siquidem in synocho continente ue nulla

Febris continua.

Febris σύνεχος & συνεχὺς.

nulla sit feruoris remissio, donec desinere incipiat. Synechys autem siue continua in singulis accessionibus remissionem sensilem habet. Item synochus vnicam dumtaxat accessionem obtinet, synochys verò plures. alij verò barbaram sectantes medicinam, cùm continens etiam febris continua sit, subdiuidunt continuas prout materia putrescit: si in venis magnis seu principalibus aut cordi propinquis, fiunt febres continentes, quæ etiam sunt ex genere continuarum, sed ad differentiam cõtinuarum propriè dictarum quidam appellant eas continentes continuas, vel conclusas. si putrescit materia in venis paruis & à corde remotis, fiunt cõtinuæ proportionatæ à barbaris sic dictæ, cùm habeãt periodos quæ, proportione respondent cum periodis febrium intermittentium, quamuis ad infebricitationem omnino non perueniant. vnde & istæ febres proportionatæ secundum aliquos habent naturam quandam mediam, inter continentes & intermittentes. inter continentes verò, quia materia putrescit in venis: inter intermittentes, quia sicut intermittentes habent intentiones & remissiones. & ita aliquæ ex his magis accedunt ad continentes, in quibus materia putrescit in venis remotis, non tamen remotissimis. Aliquæ verò ad intermittentes, in quibus materia putrescit in venis remotissimis: hæc enim conducunt ad curationem, numquid magis proximæ sint continentibus vel magis vicinæ intermittentibus, aut potius in medio consistant. At continua propriè dicta Græcis συνεχὴς, iuxta materiam putrescentem in venis diuiditur si bilis, in tertianam continuam, quæ alternis diebus exacerbatur, quibus & ardens seu causos adiungitur: si pituita, continuam quotidianam, quæ quotidie: si melancholia, quarto quoque die exacerbatur. Est & alia continua biliosa τριταιοφυὴς dicta tertianæ finitima, quæ omnia postea exemplis magis elucescent.

In quibus ambæ conueniant.

Alia continuarũ subdiuisio.

OBSER-

OBSERVATIO II. DE FEBRE PVTRIDA CONTINVA EX calida vini potatione oborta.

IVVENIS viginti ſex annorum Delphis habitans, quamuis ſatis abſtemius, cùm in nuptiis ſaltando & choreas ducendo, plus æquo incaluiſſet, cumque immoderatè bibiſſet, quo vti minimè conſueuerat, die ſubſequenti in capitis dolorem incidit, quem non adeò magni fecit; domumque egreſſus aëri ſeſe expoſuit: at mox calidior factus febre putrida correptus eſt, quæ continuò hominem affligebat, capitiſque dolore magis magiſque incrudeſcente, ita vt tandem decumbere coactus fuerit. Ad hunc, die ſequenti vocatus, & cùm hic vino liberaliore, eoque vetuſto vſus eſſet, oculos autem rubros bilioſque haberet, totumque corpus graue eſſet, venaſque latiores & earum torulos plus quàm antea tumidiores conſpicerem, vrinam rubram, turbatam, putrem, multumque acrem, & eo die aluum per ſe depoſuiſſet, venæ ſectionem ſtatim adhibui, ſanguine ex vena brachij dextri interna, copioſè ſatis exſtracto: qui tamen cùm aliquantulùm poſteà bilioſus, in homine vtcunque bilioſo, inter manandum videretur, iuſſi vt venam Chirurgus conſtringeret: cùmque pulſus aliquo modo commutaretur, ſtatim verò & hunc ſyrupum refrigerantem à venæ ſectione propinaui. ℞ ſyr. acetoſi ſimplicis ſyr. viol. ana ℥ ß. aquæ lactucæ endiuiæ acetoſæ ana ℥ j. miſ. capiti autem oxirrhodinum admoui, quo etiam dolor capitis mitior eſſe cœpit. Ad ſitim & calorem febrilem ptiſanam vulgarem ſumebat, quantum vellet: ſub noctem deinde melius quieuit & ſudauit. Die ſequenti cùm redirem

redirem qui tertius dies erat atque aluus ſtrictior eſſet hoc leniens medicamentum exhibui. ℞ Thamarind. ℥ ß. prunor. damaſ.numero v.bulliant in aqua communi q.ſ.& huius expreſſionis accipe ℥ iiij. ſyr. roſ. ſolutiui ℥ iij. miſ. quo bene excreuit. In quarto ſudauit, meliusq́.habuit, calore febrili nondum ceſſante. Rurſus hæc alterãtia præſcripſi.℞ oxiſach.ſimplicis, ſyr. acetoſi ſimplicis, ſyr. viol. ana ℥ j. aquarum end. cicor.lupul.ana ℥ ij.miſ. pro ij.doſibus. Et cùm circa renes doleret ob calorẽ febrilem vnguento roſ. & cerato infrigidante Gal. ſimul mixtis lumbos inungi fecimus. Sextò die cum aluum non deponeret, hoc infuſum dedi. ℞ Rhabar.optimi ʒ j.ß.ſchœnanti ℈ ß. ebulliant in ℥ v. decocti communis facta infuſione deinde per noctem, fortiſs. expreſſioni addendo ſyr. viol. roſ.ſolutiui ana ℥ j. miſce. ex ea potione multa millioſa excreuit. ſeptimo die vt ſudor magis prouocaretur & vrina melius efflueret, ſyr.acetoſi ſimplicis ℥ j.ß. cum ℥ iiij.decort. hordei mundati & ſeminum quatuor frigidorum maiorum exhibuimus. & cum nono die magis ſudaſſet 14. die hic ſanus factus eſt.

SCHOLIA.

Cauſſæ febrium in generali.

QVINQVE *ſunt cauſſæ generales, quibus omnes febres generantur, propter motum immodicum, ex quo calor in totum extenditur corpus, & continuatim (vt dictum eſt) ad cor aſcendit, ita ex eo, quemadmodum & ira, nõ ſolùm ſpiritus, verùm & ſanguis aliįq́ humores incenduntur, Gal. teſte* 1. *De diff.feb. cap.*8. & 3. *De præſag.ex pulſ.cap.*2. *Secundò ex adhæſione calidi, ignis, ſolis, medicamentorum calidorum & balneorum, teſte Gal. libro* De *cauſſ.morb. cap.*2. *Tertiò ex retentione calidi effluuij,*

effluuij, cute densata, vel corporibus astrictis, vel mordaci effluxu in corpore coaceruato & detento, ita in aqua natantibus aluminosa contingit. Quartò ab esculentis calidis: vt alliorum, porrorum, cæparum, & similium: potionibus calidis, scilicet vini veteris, medicamentorum acrium, venenosorum. Quintò ex putredine: nam humores glutinosis crassisque cibis & malè olentibus etiam corrumpuntur. non fuit igitur admiratu dignum hunc Iuuenem à motu & ab exercitio deinde calidi vini potione in hanc febrim incidisse, cùm sese etiam aëri frigido exposuisset interceptis fumosis fuliginosisq; excrementis quæ expirari solebant, humoribus vtpote humidis existentibus (vt Aëtius rectè dicebat lib. 5. cap. 74. de feb. à putredine euenientibus) putrefactis & corruptis intra vasa contentis. Cùm putredo sit corruptio humoribus contingens propter ebullitionem extranei caloris, atque huius caussa interna est respirationis priuatio, quæ à multo, crasso, ac viscido humore meatus constipando, fit externa ab aëris mutatione præparatoria. Sic Auic. 4. Can. 2. cap. Putredo fit à cibo malæ substantiæ vel malignæ qualitatis, aut tempore, ordine, non obseruatis, aut arte malè præparatis: nam eius substantia si fuerit nimis viscosa, vt anguillæ: vel nimis humida, vt fructus: aut corruptibilis, vt lac: vel qualitas nimis humida; vel si tempore oportuno non sumatur, vel in ordine peccetur, vel cùm crassa & dura tenuibus præponuntur. Artificium autem animaduertitur, si fercula malè parantur. Fit etiam putredo ab obstructione, aëre, humore. Vide Gal. latiùs De causs. morb. 2. cap. 8. Medicamenta quoque quæ suapte natura putrefaciunt, vel excrementa in ipso animali genita quoq. transpirationem impediunt. Sed & Hippoc. 3. epid. à calido & humido putredinem fieri dixit. Annus enim calidus & humidus pestem infert. lege de his Gal. 1. De temper. cap. 4. &

Putredo.

Caussæ putredinis.

De inæquali intemperie cap. 4. & 7. Cúmque ex professo de his scribat Gal. lib. 1. cap. 5. & 6. De diff. feb. ea loca perlegito: & ita sunt harum febrium putridarum tres diuisiones, quòd caussæ ipsius putredinis adsunt vel non adsunt: quod per totum animal, aut eius partem aliquam, est diffusa putredo. vel quatenus cum phlegmone est, aut citra hanc; vt 2. Method. à Galeno & alibi explicatur. Quibus autem corpus humoribus corruptis scatet, vel plethora aut cacochimia abũdat, magis parati sunt ad febres putridas: his enim leui ex caussa humores corrumpuntur & deinde inflammantur: sicuti enim fœnum tempore humido pluuioso collectum, vel nimis viride nõdum exsiccatum in horreum delatum facilè putrescit & corrumpitur, deinde idem incenditur: ita quoque in humoribus euenit; maximè verò in corporibus humidis & ad putredinem paratis, vt humores corrupti & accensi in venis putridam continuã, extra venas intermittentem febrem producant.

OBSERVATIO III. DE FEBRE PVTRIDA, CONTINVA, LETHALI in homine pituitoso.

PETRVS Chirurgus Alcmarianus, qui è regione templi Sancti Spiritus habitabat, in febrem putridam continuam, acutam, satisque malignam incidit. Hic alium Chirurgum ad se vocauerat, qui eidem in brachio detraxerat vltra duas libras sanguinis, vnde in animi deliquium incidit, viribus omninò deiectis. Erat autem hic pituitosus, & albi coloris. cui tanta sanguinis detractio nullo modo conueniebat, licet continua febris putrida esset, quæ sine rigore inceperat. Quamuis & hoc proprium sit signum febrium putridarum, non tamen inseparabi-

le: Nam

le: Nam à rigore, licet paruo, vel etiam ab horrore quandoque incipiunt. Cùm autem ab emisso sanguine largiore hic æger peius haberet, me tandem vocauit. Pulsus huic erat debilis, licet celerior, eratque systole celerior diastole, quamuis difficile hoc in languido ægro percipiebatur, cùm hæc in principio inuasionis febris manifestè apparet, vt Gal. docuit 3. De præsag. ex pulsibus. Calor autem licet in huiusmodi febribus putridis sit mordax vt Hippoc. 6. De morb. vulgar. par. 1. tex. 29. & Gal. 1. De diff. feb. ostenderunt: hic in corpore molli, pituitoso mordax quidem erat, sed minus quàm in febre ardente aut in homine bilioso. erat etiam vrina cruda, vt in putridis in principio apparere solet, febre non desinente, ita vt facilè ex signis præsentibus continuam putridam esse cognouerim. licet autem fuerit ab animi deliquio restitutus, attamen ilicò à missione sanguinis semper peius habuit, modò dormiebat, aliquando delirabat, inquietus erat, vires deiectæ, vrinæ tenues, decolores: & cum remedia nullo modo iuuarent, sexto die obortus est fluxus alui symptomaticus, colliquans, febre magis augescente, ita vt præhabito prognostico hic nono die obierit.

SCHOLIA.

QVAMQVAM hic magnitudo morbi spectanda erat, quæ sanguinis missionem exigebat, interim aliæ indicationes quæ à viribus sumuntur, non erant negligendæ, quæ tantùm sanguinis detractionem non admittebant in corpore molli & laxo ac pituitoso: hinc virtute collapsa natura morbum non potuit euincere, vrina cruda permanente, ita & in 6. die non critico, qui & tyranno à Galeno comparatur, fluxus obortus est, non criticus

 sed sym-

Signa febriũ putridarum in genere.

sed symptomaticus ac lethalis. Erat autem hæc febris putrida continua, vt signa ipsa indicabant, cùm nulla præcesserat caußa procatarctica, inæqualitate in pulsu apparente, sine horroris inuasione, cum calore vtcunque mordaci & tactui molesto, velocitate systoles, & vrinarum cruditate, & debili concoctione. De quibus ad longum vide Gal. 1. De diff. feb. cap. 7. & Donatum qui Galeni verba fusius interpretatus est par. 1. De medend. feb. cap. 16. Et Paulum lib. 2. cap. 2. & Auicen. 4. can. cap. 2. Præcedit etiam primum morbi insultum laßitudo, pigritia, somnolentia vigiliæ, spirandi difficultas, venarum tensio, sitis, dolor capitis & inquietudo.

OBSERVATIO IIII. DE FEBRE QVADAM PVTRIDA CVM GVTTVRIS inflammatione per 24. horas tantùm durante.

ILLVSTRIS Dominus Princeps Auraicus, cùm per hyemem Delphis ageret, & in ſtupha perpetuò degeret, apertis ſæpè feneſtris, quæ ad turrim templi antiqui ſpectabant, vnde ventus perpendicularis & ex parte Borealis intrabat, ita vt in gutturis inflammationem incideret, quam & valida febris ſubſequebatur, cùm aliquantulum inhorruiſſet: quæ per viginti quatuor horas tantùm durauit, febre non amplius redeunte, licet vires vtcunque ex valida illa febre deiectæ fuerint. Vtebatur autem tunc gargariſmo quodam ſibi familiari in eodem gutturis malo, quo alias commodè vti ſolebat, ab eiuſdem generoſiſſima vxore confecto, quod ita paratum erat. ℞ florum roſ. rub. ſiccarum. p. 1. bulliant in lib. 7. aquæ plantaginis, adde aluminis exiguum, & mellis parum, fiatque gargariſma, verùm cùm

inde

inde nihil iuuaminis ſentiret 27. Ianuarij anno 1581. Excellentia ſua me vocauit eo die cùm febricitaret, at tunc in paroxiſmo adhuc exiſtente nihil egimus. cæterùm die ſubſequenti cùm rediiſſem in totum à febre liberatus fuit, neque poſtea rediit, inflammatione in gutture adhuc permanente. libenter tunc infuſum rhabar. præſcripſiſſem, quo aliàs commodè per me deſcriptum ad febrem in ſua Excellentia vſus fueram, at eo abhorrente, guttur exterius oleo chamemelino & amig. dulc. ad reſolutionem & dolorem refocillandum, lana ſuccida admota inunximus. 29. prius infuſum ſequens admiſit ℞ folior. Senæ alexandrinæ abſque ſtipitibus. ʒ ij. ß. Rhabar. ſelecti ʒ j. ſchænanti. ℈. ß. ſem. aniſi ʒ j. ebulliant ſemel in decoctionis communis ℥ v. & maneant infuſa per horas 12. deinde fortiſſ. expreſ. adde ſyr. ex multiplici infuſione roſ. ℥ j. miſce. & fiat hauſtus, quo benè excreuit, neque febris rediit. Tamen cùm appetitus non rediret, ne materia aliqua relicta denuò febrem gigneret, tribus diebus elapſis rurſus libenter infuſum dediſſemus, niſi Excellentia ſua ad potiones ſumendas propria natura abhorruiſſet, & ideo minus admitteret, & pilulis vti mallet quibus magis delectabatur: quare quarto februarij has auro obductas eidem dedimus ℞ pilularum Maſtichinarum ℈ ij. ß. Rhabar. optimi ℈ ß. cum aqua boraginis vna atque altera gutta fiant pilulæ numero 7. accepit verò cum pomo aſſato & ſuperſorbebat ℥ j. ſyr. ex ſucco roſa. ſolutiui. ex quibus 4. ſedes habuit, cùm facilis eſſet ſolutionis. Mox & ſequentibus gargariſmis vtens ab inflammatione tonſillarum & columellæ inflammatione ac laxatione reſtitutus fuit. ℞ aquæ plantaginis ca-

I 3 prifolij

prifolij, nucum ana ℥ iiij. flor. rof. rub. p. j. ebulliant femel, colētur, & colaturæ adde fyr. granatorum diamori ana ℥ j. ß. mifce, eo etiam in principio vtebatur. fuit hic gargarifmus femel reiteratus. At ex febre illa validiffima quæ tantùm durauit 24. horas, ita fuit appetitus deiectus, qui poft 14. diem prius rediit. fuitque iftis remediis illuftris Dominus Princeps magna cum noftra laude curatus, vt poftea validus ac robuftus Amftelrodamum acceſſerit. cumque excellentiffimus Dominus Princeps tertio Iulij rediiffet, eiusque excellentiam tum Dominam eius vxorem generofiffimam Carolam ex ftemmate nobiliffimo Borboniorum ortam, ftrenuiffimi Ducis Monpenferij filiam in Hagha Comitis falutarem, ea ipfa admodum liberalis duobus fcyphis aureis me donauit, pignus æternæ memoriæ ac gratitudinis poft fe relinquens.

SCHOLIA.

HÆc febris licet tantùm viginti quatuor horas duraret, non erat tamen ephemera aut diaria; cum hac mitis fit, ac benigna cum fuaui calore: illa verò vehemens ac valida, cuius calor etiam ad tactum erat mordax. Erat igitur putrida, fed nunquid continua aut intermittens, aliquis etiam hic dubitare poffet: nam videbatur non effe intermittens, quia vnicam tantùm acceſsionem habuit, quæ viginti quatuor horis terminabatur. vix etiam aliquis continuam effe dixerit, cùm inceperit cum horrore. At quia leuis erat horror & non vehemens, talis quoque initio febrium continuarum fubinde apparere folet, ficuti etiam & rigor leuis. Et quanquam Galenus meritò capit figna prima febris putridæ à modo inuafionis: nam fi inuadat cùm rigore, indicatur ab eo effe intermittens, ab Hippocrate fic edoctus 4. aph. 63. vbi Hippoc. ait, febres quæ quotidie

Signa putridæ quæ fumuntur à modo inuafionis.

cum rigore inuadunt, quotidie etiam soluuntur, & sic ex rigore indicatur febris intermittens distincta à continua. At hic rigorem aut horrorem non oportet intelligere quemcumque rigorem, sed determinatum: cùm etiam inueniatur febris cõtinua, quæ cum rigore inuadit, vt colligitur ex Gal. 2. *De differ. feb.* 8. *vbi expreßè admittit, & continuas & intermittentes & hæmitriteum poſſe cum rigore inuadere, &* Hippoc. 1. *epid. ſect.* 2. *part.* 25. *idem concedit, & quod cum horrore quoq. contingere poſſent iuxta eundem* 3. *epid. part.* 75. *vbi proponit caſum cuiuſdam phrenitici, cuius febris cum horrore inceperat, eratq́, continua, cùm & in quarto obierit. Cùm igitur hæc eueniunt diſtinguendum cum Galeno, vt* 1. *ad Glauc. quòd ſi rigor ſit magnus & diuturnus, erit intermittens. ratio eſt, nam in tali rigore vniuerſa materia febrilis propellitur ad ambitum totius, & extra venas. Et cùm ibi materia plurima ſit, neceſſe eſt vt rigor ſit vehemens vel ſaltem diuturnus. At in febribus continuis fieri poteſt dum materia propellatur à venis magnis ad paruas, vt aliqua portio materiæ, in parua tamen quantitate propelli poßit extra venas, atque hæc ipſa eſt quæ etiam rigorem præbet. Verùm cum modica ſit, non poteſt diuturnum rigorem inferre. hoc licet contingat præter rationem propriam in febribus continuis, cùm in his rarò rigor aut horror contingat, cùm materia ſit in venis. quod ſi contingat, erit horror vel rigor vix eſſatu dignus. Et ſic ex rigore vehementi colligimus intermittentem febrem eſſe. Sed cùm itaque ex paruo rigore vel ex rigore poßimus iudicare vel continuam vel intermittentem eſſe, aliquis dicet: Quomodo ergo diſtinguam febrem quæ eſt cum paruo rigore vel horrore vel inæqualitate? Galenus hoc cognoſcens ſurgit ad iudicium, quod capitur ex diuturnitate acceßionis: nam intermittens non poteſt aliquo modo* 24. *horas excedere. Si eſt continua & inuadat cum*

rigore paruo, perseuerabit vltra 24. horas, ex quibus videtur quod hæc fuerit intermittens & non continua, quamuis cum exiguo horrore inceperit. Sed rursus hæc erat vehemens? Sed ad hoc respondere quis posset, Tertiana intermittens etiam vehemens est? Concedimus sed hæc non erat tertiana, quia 24. horis soluta, non redibat. Et sic aliquis diceret eandem ephemeram fuisse & non putridam, ex inflammatione gutturis obortam, quemadmodum & ex inflammatione inguinum etiam fieri posset vt antea ostensum est. Non possumus tamen inferre, quia durauit tantùm 24. horas, ideò fuit diaria. Cùm & febris illa sudorifera anglicana maligna & pestifera non vltra 24. horas durabat, cùm intra idem spacium ferè omnes ad orcum populatim demittebat. Sudor etiam copiosus putridam ostendit, paucus & lenis ac malis diariam, & cum in hac febre sudor in fine copiosior esset & calor acris & mordax, si non fuerit continua fuit intermittens & semper putrida, & per vnum diem semper terminata. quod æquè rarum est tam de intermittentibus quam continuis. At vtile nobis visum fuit cùm de continuis febribus putridis hic sermonem habeamus, hanc quoque febrem pro exemplo ponere vt somnus ex febris inuasione, quænam ipsa sit. Et vt melius hanc distinctionem intelligamus, cùm intermittentes rarò excedant 24. horas, est tamen tertiana protensa dicta quæ habet accessionem perdurantem etiam vsque ad 40. horas, id quidem impossibile esse dicimus vt intermittens duret vltra 24. horas, si cum horrore breui vel exiguo inuadat? Nam rigor si sit breuis vel exiguus, non pendet à multa materia. At protensa tertiana pendet à multa materia, vbi igitur erant continuæ inquirendum? Nam istæ sunt continuæ vel per super ingressum paroxismorum, an potius quia materia in venis putrescit. Nam fieri potest vt febres sint intermittentes, attamen accessiones fe-

nes febrium intermittentium adeò protrahuntur, vt antequàm rigor accedat, non desinat prior accessio. Cùm igitur secunda accessio accedit, cùm adhuc prima non cessauerit, continua esse videtur, sed etiam continua ob super ingressum paroxismorum. Distinguemus autem ex modo inuasionis. Si inuadunt cum paruo aut breui rigore dicemus esse continuas & verè continuas: contrà, si cum vehementi vel diuturno rigore, dicemus quidem continuas, sed per super ingressum paroxismorum: ratio est, quia dum febris inuadit cum paruo rigore, si febris hæc esset intermittens, dependeret à modica materia & non posset habere accessionem diuturnam, & ita secunda accessio non superueniret primæ. Cùm igitur nulla fiat intermissio & rigor sit vel breuis vel exiguus, indicium est, quod materia putrescit in venis. postea poterimus considerare quomodo istæ sint febres continuæ, vel continentes, vel continuæ proportionatæ. sed de his, scholiis huius libri diximus, continentes, vt diximus, vno modo affligunt vel augendo, vel decrescendo, vel vnum tenorem obtinentes. proportionatæ continuæ iuxta symptomata modò intenduntur, modò remittuntur, ita vitiosa de tertio in tertium, causos excipitur, quia materia putrescit in magnis venis, ideò non commouetur, pituitosa quotidie, melancholica, quarto die. sed de his omnibus suo loco. Concludendo videtur hæc febris fuisse tantùm symptomatica, de quibus aliàs dicturi sumus latius.

OBSERVATIO V. DE FEBRE ACVTA, CONTINVA, PVTRIDA.

VILLICVS quidam satis diues, annorum 40. robustus, qui in Exeruilla pago commorabatur, non multum distante ab vrbe Pithuera dicta in Gallia (in qua tunc praxim exercebam, vt aliàs sæpè dixi)

dixi) anno 1545. in principio mensis Augusti, canicula æstuante cùm variis cibis ac potibus sese impleuisset, & nunc præter modum se exercitasset, in febrem continuam eamque acutam lapsus est. in quo ægro cùm ad eum ingressus essem, hæc signa adesse animaduerti, quæ in acuta continua maximè apparent. Vehementer enim capite dolebat, aderatque totius corporis calor acris & mordax, qui vnà cum febre semper magis intendebatur, & ad interiora penetrabat, vigilia quoque ac insigni angustia premebatur, hypochondria dolebant, sitis valida cum linguæ ariditate & palati: pulsus velox, & anhelitus spissus, inquietudo, spiratio maior, decubitus grauis atque molestus, somnia terribilia, & frequẽs in somnis locutio, & delirium per interualla: quæ omnia & acutam & continuam febrem indicabant: cùmque adessent plethora, ac lotium rubrum esset, & alia ad sanguinis detractionem consentirent, balano prius indito cùm aluum non redderet, ad vncias sex sanguinis trahere feci, sed non plures ob æstum & in homine bilioso & macilento, mox & hunc syrupum ebibit ℞ sy. de end. de succo acetosæ viol. ana ℥ß. aquæ bugloss. cich. acetosæ ana ℥ j. misc. decocto hordei pro potu vtebatur. quarto die à morbi decubitu hoc leniens medicamentum propinaui. ℞ Diaprunis simplicis diacathol. ana ℥ß. elect. de succo ros. mesues ʒ j. aquæ decoct. thamarind. & flor. cord. ℥ iij. sy. viol. ℥ j. misce. ter copiosè ex eo aluum reddidit, primò feces duras, deinde liquida, corrupta, & biliosa. sub noctem ad somnum conciliandum capiebat ex sy. viol. & pap. & nemiph. cum aquæ lactucæ, & ad dolorem capitis consopiendum modò oxirrhodonon fronti imponebatur, modò lac muliebre.

liebre. Quinto iulebos ſumpſit ex aquæ end. cich. acetoſ.ana ℥ j.ſy.de limonibus viol. ana ℥ ß.miſce, & cùm lotium craſſum & concoctum ſpectabatur. Sexto die hanc purgationem ſumpſit ℞ Rhab.ſelecti ʒ j. ß. ſpicæ ℈ ß. infunde per noctem in aqua end. cich. bugloſſ. ana q. ſ. mane huius expreſſionis ℞ ℥ iij. Diacathol. ʒ vj. ſyr. roſ. ſolutiui ℥ j. miſce: quo ſexies multa bilioſa & malè olentia excreuit. Cùm his calor febrilis non mitigaretur, & vrina ſatis tincta maneret. Septimo die manè epithema ſequens hepati impoſitum fuit ℞ aquar.end. ſcariolæ acetoſæ ana ℥ iij. aquæ roſ. abſynthij ana ℥ ß. aceti vini albi ℥ ß. pul. omnium ſantal. ana ʒ ß. ſpicæ nardi ℈ ß. miſ. fiat epithema. Etiam cordi hoc adhibitum fuit. ℞ aquæ roſ. melliſſæ borag. bugloſſ. viol.acetoſæ ana q̄r. j.pul. diamarg. frig. ʒ j. oſſis de corde cerui bene albi ſantali rub.ana ℈ ß. vini maluatici ℥ j.vel albi tenuis,ſi deſit. fiat epithema. Ex quibus melius habere viſus eſt: poſt meridiem cœpit delirare, ſed ſub noctem cùm in ſomnum incidiſſet mox ad ſe rediit, & cum pulſum tangerem vndoſus erat, & ſudor per totum corpus erumpebat & melius deinde habere cœpit, ita vt poſtea eum febris reliquerit. Vrina tamen mihi ſuſpecta erat, cùm rubra adhuc permaneret: interim ad roborationem modò tabul. triaſand. modò diarod. abbatis vtebatur, modò diaboraginato diabugloſſato & ſaccharo roſaceo ex quibus & opiata adiecto rob.de ribeſ. conficiebantur, & licet à febre liberatus eſſet, vinum tamen inhibui ob rubram vrinam permanentem. At ſeptem vel pluribus diebus interpoſitis poſt meum diſceſſum cùm bene ſe haberet, recidiuam deinde paſſus eſt, quam ex mala victus ratione factam ſuſpicabar: & tunc multo peius

quàm

quàm antea laborauit, ita vt etiam hypochondria fuerint tensa & inflammata, vnde & delirabat, & in paraphrenitidem incidebat, vt à quatuor hominibus vix in lecto contineri posset. nihil tunc remedij tentatum, sed amici astantes vt moriturum eum omninò sacerdotibus committunt, ac iubent, vt extrema inunctio tanquam hinc emigraturo administretur. At delirium per se sedatum est, fluxu enormi subsequente: sed cùm ad se paulatim rediisset, singultu oborto cum sopore ac animi deliquio. At his duobus accidentibus rursus cessantibus remanebat singultus vsque ad quartum diem: re tunc quasi deplorata iterum me vocarunt, vt si aliqua spes in remediis adhuc posita foret, adhiberem. Accedens inueni vires valdè deiectas, & quod singultus eundem maximè infestaret. sed & sopor ac deliquium animi quæ præcesserant cum singultu magis anxium me reddebant, iuxta Aëtium lib. 9. cap. 5. & proprio de singultu sic dicentem. Singultus in altiore sopore, aut animi deliquio, aut tethanus obortus, mortem non longè abesse præsagit. euanuerant tamen sopor & animi deliquium paulo antequàm eum accederem, remanente virium debilitate & singultu. Fluxus etiam qui prius adfuerat nunc sponte sedatus erat. Cùm autem mirum in modum singultu afficeretur, stomachum propè mucronatam cartilaginem tum etiam spinam dorsi è regione eiusdem inungebam oleo violaceo ad humectandum & refrigerandum, etiam bombace in eo oleo tincta admota. deinde imperabam vt continuò sumeret ex syrupo violaceo & menthaceo simul mixtis: violaceus verò humectabat; menthaceus corroborabat, calor sy. menthacei cum violaceo contemperabatur: iisque adhibitis

remediis

remediis singultus incantamenti instar cessauit. Ad roborationem quoque saccharo rosaceo perlato vtebatur, & præscripta diæta resumptiua hic secundo curatus fuit, tamquam à sepulchro in lucem reuocatus, præter astantium opinionem.

SCHOLIA.

FVIT verò hæc febris continua & acuta, quæ etiam velocitate sui finis magna dicitur à Galeno 2. aph. 19. vel quòd hæc ipsa moueatur cum velocitate, in qua etiam tumor est: quæ non transit 14. diem: quamuis hæc post septimam primò cessauerit, deinde rursus recidiua facta non minus & tunc acuta fuit, ob pessima accidentia quæ & acutam febrem notant: nunquam enim acuitas ægritudinis cum fortibus accidentibus 14. diem transire potest: & ita febris acuta continua citò ad mortem vel salutem terminum suum parat: interim acutus morbus, alius dicitur exactè acutus, qui intra 14. diem terminatur, alius non exactè acutus, qui ad 20. diem extenditur. Cùm hæc maximè ad prognostica faciant, diligenter considerandæ sunt febrium differentiæ, quæ penes motum, penes sæua accidentia, & penes temporis longitudinem vel breuitatem distinguuntur. Harum autem quattuor in summum à medicis differentiæ positæ sunt: peracuta, acuta, tropica, chronica. quibus & alij addunt febrem perperacutam. Perperacuta dicitur illa, quæ quarto die absoluitur, omnium aliarum febrium sæuissima & periculosissima, & magnæ inflammationis cum sæuitate accidentium ilicò ad statum perueniens. Sic Amius Reynerus, qui in foro frumentario Delphis agebat, vir circiter annorum triginta, in anginam lethalem & febrem perperacutam incidit, ad quem Ericius Leydius Medicus collega meus prius vocatus fuit, ab iniecto clystere, sanguinem ex cephalica detrahere

Febris acuta.

Perperacuta.

here iubet ac gargarismata tum alia apta remedia præscribit: tertio die cùm in Hagham *Comitis collega vocatus esset, cùm suffocatio immineret ad eum accitus sum, cùm nihil deglutire posset, libenter sanguinem ex venis sub lingua detraxissem, sed os aperire non potuit; interea collega reuerso etiam* Nieuenius *medicus Haghanus vnà vocatur, verùm cùm nullum medicamentum per os sumere posset, iterum clyster iniectus est, vnde probè quidem aluum deponebat, sed nihil iuuaminis neq. ex emplastris aliisq; remediis exterius adhibitis sentiebat, ita vt angina strangulante tum febre perperacuta obierit quarto die. cùm & angina per se malum acutissimum sine febre etiam aliquando ante quartum strangulet ac suffocet.*

Quidam ex angina strāgulante & febre perperacuta in quarto obiit.

Verùm febris peracuta dicitur, quæ septimo die terminatur: qualis erat illa continens, quæ septimo die terminabatur cum sanguinis profluuio è naribus in iuuene robusto, de quo egimus lib. 1. *Obser.*22. *Sed & ea quoque peracuta erat in puella biliosa, quæ maximè capite dolebat, delirio deinde detinebatur, vigilabat, cui in septimo menses copiosè fluxerunt, & liberata fuit. huic statim ab initio parum sanguinis detraximus, refrigerantia, alterantia, humectantia & emollientia vt syr. viol. iuleb. viol. syr. nymph. pap. præscripsimus cum aqua lactucæ viol. acetosæ endiuiæ & similibus etiam infusum Rhab. dedimus cum syr. viol. & cùm morbus vehemens esset & celer, ac in septimo crisim exspectaremus victu tenuissimo vtebamur: tamē quia valdè biliosa, etiam hordeatum concessimus & emulsoria ex amigd. dul. & se.* 4. *frig. maioribus. nam in eiusmodi febribus victus ratio maximè obseruanda venit.*

Febris peracuta.

At acuta verò febris, vt nunc diximus, duplex est, vna quæ & acuta absolutè dicitur quæ 14. *terminatur, altera acuta per decidentiam vel acuta non absolutè dicitur & hæc ad* 20. *diem extenditur. Tropica sunt febres à* 20. *vsque ad* 40. *perdurantes, sic à qui-*

Acuta febris duplex.

Tropicæ febres.

à quibusdam dicta conuersiua seu tropica ad similitudinem conuersionis solis in signis tropicis. Hæc enim discedens ab acuta ad chronicam febrem sese conuertit, estq; hæc tropica media inter acutam & chronicam, de quibus latius vide Sauonarolam, quæ & tardissimè ad statum venit. Febres verò si quadragesimum diem excedunt, non amplius tropicæ, sed chronicæ seu diuturnæ dicuntur. Sed hæc postea clariora per exempla euadent. Morbos autem breues vel prolixos cognoscemus ab ipso morbi paroxysmo: nam paroxysmi longi, longum: breues, breuem morbum prænuntiant. Item ab ipso genere morbi: nam angina, apoplexia, febres acutæ, malignæ, ardentes, tertianæ, breui: paralysis quartana longo tempore terminantur. Ab ipsa virtute debili vel valida, vnde ex debili breuis; ex valida, longus. Ab ipsa ætate, tempore: Nam in senio & hyeme longus: in iuuentute & æstate breues. Ab ipsis accidentibus vel longo tempore durantibus. Ab ipsis excrementis exeuntibus natalis: nam in vrina nullum apparentis concoctionis indicium, longum morbum: & contrà breuem significat. peracuti rarò quartum aut septimum transcendunt. acuti 14. vocandi sunt morbi acuti si cum sæuis symptomatibus terminantur: nam ephemeræ non sunt morbi acuti, licet subitò terminentur. Satis est hæc admonuisse, reliqua apud Galenum inuenietis non solùm in comment. lib. 1. aphor. 12. sed & apud eundem 1. De cris. 6. & Auicen. 4. can. cap. 4. qui etiam docet statum cognoscere ex tempore & motu morbi, ex ipsa virtute, ætate, tempore, pulsu, rigore, à paroxysmo, ab accidentibus ipsis, ex euacuatione & concoctione. Nec satis est hic animaduertere quibus diebus terminẽtur, & vtrum sæua habeant accidentia, verùm & ipsa materia quoque spectanda à qua fiunt. Nam peracutæ & acutæ similiter à materia biliosa & sanguinea potissimum fiunt, licet & cum aliis humoribus permisceantur;

Chronicæ seu diuturnæ febres.

Quomodo status morbi cognoscatur.

ceantur; tropicarum autem materia vt plurimum est biliosa pituitæ admixta, intra venas quoque putrescens secundum maiorem ac minorem mixtionem humoris frigidi cum calido, qua ratione & accidentia quoque mutantur. Chronica autem fit potissimum ex materia pituitosa & melancholica vel quod superant alios humores, in cuius curatione maior respectus est ad causam & materiam, quàm ad febrem. In curatione peracutarum & acutarum, ad febrem potius & sæuiora accidentia interim materia nequaquam neglecta, & sic peracutæ magis indigent extinctiuis & refrigerantibus remediis, acutæ verò prout sunt intensæ & remissæ. Tropica verò, cum est media inter acutam & chronicam, ita & curatio erit media, & signorum cognitio, nam habita curatione & signorum acutarum, hæc etiam facile innotescet. Cæterùm hæc omnia multo luculentiora exemplis euadent.

OBSERVATIO VI. DE FEBRE continua biliosa, & acuta, ac lethali.

ANNA Simonis, quæ in platea vaccea agebat, soror Cornelij Buscopij illius insignis Organistæ, mulier biliosa, subnigra, atrabilaria, raræ texturæ, statura exigua, macilenta, filiolam lactans, annorum circiter 36. cui aliquando è naribus sanguis subtilior biliosus effluere solebat. Hæc ex animi mœrore perturbata, per mulierem, quæ litem causa hæreditatis ob fratrem demortuum inferebat, cùm verba acerbiora in eam detorserat, die nono Aprilis, anno 1583. febre continua eaq. biliosa, & acuta sub noctem correpta est, vigilabat, multa tenuia biliosa, corrupta, deiiciebat, & vermem vnum, (quod & malum signũ vulgo proditum est, & ideò vulgares hunc vermem, si non plures deiiciãtur, vermem vitæ

vitæ vel corporis viuentis appellare solent) vrinam nigram liuidam & fœtentem per totum morbi decursum meiebat. Ad hanc cùm antea nullis remediis vsa esset, accitus sum 13. die Aprilis, nempe in principio quinti diei ab initio morbi, cum symptomata iam supradicta animaduerterem, & quod lotium liuidum esset, hanc vix euasuram prædixi, eoque magis, cùm loquela impedita esset, vt vix intelligeretur, pulsus celer ac debilis, febris vehemens, & inquietudo maxima, & delirium per interualla, vigiliæ insignes, locutio molesta, spiratio crebra, venæ sectione neglecta & omissa ab initio in morbo valido, quam etiam nunc vix audebam tentare cùm à meridie vocatus sub vesperam omnia iam dicta magis augerentur, cumque debilis existeret, ac satis multa biliosa, tenuia, liquida, malè olentia eodem die ter quaterque deiecisset, quod & signum erat magnæ putredinis. Ideò ad alterationem & putredinem corrigendam hunc sy. propinaui ℞ sy. de limonibus ℥ j.ß. aquæ cich. end. borag. ana ℥ j. misce. Pro siti & fluxu reprimendo sumebat rob. de ribes. Die sequenti manè 14. Aprilis, qui erat sextus ab initio morbi, in eodem statu eam inueni. venam tamen internam brachij dextri (quia consueta, & tempore veris potissimum aliquando è naribus sanguis fluere solebat) secare iussi, qui cum biliosus esset, & ipsa satis debilis non ita multum sanguinis chirurgus extraxit, & quanquam melius ex sectione venæ habere videbatur, cùm lingua, quæ prius impedita erat, nunc mobilior, ita vt nunc melius intelligebatur, quæ diceret. At post meridiem, rursus locutio molesta, etiam sub noctem peius habens, inflammatio gutturis accessit, lingua aspera, & tumida, vt

apthæ metueretur: gargarisma sequens præscriptum fuit. ℞ aquæ decoct. hordei cōmunis lib. j. syr. granat. diamori ana ℥ j. ß. misce pro gargarismate. Cumque adhuc biliosa, tenuia deiiceret, hoc vnguento, quòd etiam ad vermes faceret, vmbilicum inunximus. ℞ olei citon. ℥ ß. olei absynthij ʒ ij. cornu cerui vsti ℈ j. ß. ceræ exiguum: fiat vng. molle. Pro somno quoque conciliando tēpora linimento inungebat. ℞ vnguent. popul: olei pap. ana ʒ ij. misc. 15. die Aprilis manè, qui septimus erat ab initio morbi, aliquo modo dolebat circa latus dextrum, & tussicula aderat, sed cùm inunctione olei amigd. dul. mitigabatur & lambebat ex syrupo sequenti ℞ syr. iuiubini ℥ j. syrupi myrtini (propter fluxum, quia liquida adhuc deiiciebat) ℥ ß. misce: interim & ℈ ij. pul. cornu vsti (qui ad vermes facit) dedimus cum decoct. rad. dentis leonis. Inter. tussiendum semel sputum apparuit cruentum, quod inter tussiendum expectorauerat. lambebat etiam ex sy. sequenti ℞ sy. viol. ℥ j. sy. capill. ven. ℥ ß. misce. At cùm rursus liquida, biliosa excerneret, sequens amigdulatum dedimus ℞ amigd. dul. depilat. ℥ ij. cum aqua furfuris fiat amigdulat. pro ℥ viij. dulcoretur parum cum zacharo rosaceo perlato. At post meridiem symptomata multo grauiora, vigiliæ paraphrenitides, & sub noctem adhuc multo peius habuit, inquieta erat, sanguis è naribus fluxit, nihil profuit, vrina liuida, crisis imperfecta, ita vt eam morituram prædicerem. Octauo die omnia peiora, liquida deiiciebat, pauca & malè olentia, locutio grauior vt nullo modo intelligeretur, valdè inquieta erat, postea aluum retinere non potuit, spiratio crebra, sæpius intercepta, manuum gesticulationes, paleas & floccos è stragulis carpebat, vox

exilis: tandem etiam interrupta, nono die ab initio morbi hæc obiit.

SCHOLIA.

CVM hic liuidam vrinam spectarem cùm prius ad eam ingressus essem, & symptomata alia aduerterem, & quod sectio venæ esset prætermissa, mortem futuram astantibus prædixi, quodq; maximum periculum huic immineret. Est enim lotium maximum indicium ad prognosticon teste Gal. 6. epidem. sect. 6. comment. 6. Cùm enim Hippocrates de ægroto verba faceret, cui grauitas capitis & delirium aderat &c. considerandum, inquit Galenus, num vrina sit bona vel mala aut mediocris. Si mala cum prauis symptomatibus, æger citò morietur, vt hic euenit: si est bona, periculosè ægrotabit, sed euadet: si mediocris, aliquamdiu viuet, sed morietur. Et ideò Galenus colligit ex primo epid. sect. 3. comment. 22. apud Hippocratem ex vxore Epicratis decumbente apud Archetem, ex solo lotio posse fieri iudicium, in qua circa initia nullo modo certum signum salutis apparebat, cùm tenuiora, pauca, biliosa, mera deiiceret, tenues & vrinas subnigras redderet, & sexto die deliraret, & septimo die omnia exacerbata, vigilia, deliria, cui tamen in 11. sudor apparuit, & minxerit colorata, cum multo sedimento, vnde & commodius habuit, quod signum in 11. tanti fit apud Galenum, cum hæc, licet 80. die, prius curata fuerit, quod ex solo lotio liceat subinde prædicere. Verùm hæc nostra puella per totum decursum morbi liuidam & nigram vrinam meiebat. Sic & Philiscus apud Hippoc. qui propè muros habitabat, tertio die nigra minxit, & quarto vrinæ nigræ, sic & quinto, cùm & parum dormisset, & ad diem voce destitutus esset, & spiritus vsque ad finem velut reuocanti rarus & magnus; circa meridiem sexta obiit. At Silenus, qui in

Lotium maximum indicium ad prognosticon.

Vide casum vxoris Epicratis 1. epid. sect. 3.

1. Epid. ægrot. pri. Philiscus.

Platomone habitabat, propè filios Eualcidis, qui & primo die vrinam nigram minxit, & ab aluo prima die biliosa mera spumosa & multa prodirent, & secunda die secessus plures tenuiores spumosi, vrinæ nigræ, vox molesta parum delirans. In tertia omnia exacerbata, secessus tenues subnigri, vrinæ turbatæ subnigræ, vndecima & hic quoque mortuus est. ita rarò euenit vbi vrinæ nigræ minguntur in febribus acutis, si alia adsint signa mala, vt euadant, quanquam Herephonti apud Hippocratem febris acuta, cui & vrinæ nigræ tenues in principio sed post octauam cùm melioris coloris essent, & paruam subsidentiam haberent, & nono sudaret iudicatus est morbus. Cùm igitur lotium in prædicendo tantam vim habeat, videndum nunquid bonum sit aut malum: 1. de cris. apud Gal. 12. bonum vel potius optimum est, si in substantia neque nimis tenue, neque nimis crassum, sed mediocre. in colore subrufum, tendens ad subflauum & aureum colorem. si infra subflauum, crudum exsistit, si cõtrà, ad vstionem tendit. Quod ad contenta attinet, oportet vt habeat sedimentum album, leue & æquale. aut saltem nebulam similem. Malum, quidem lotium duplex. Vnum crudum est, aliud corruptum. Crudum simile aquæ est, decoloratum nullam habens substantiam. Corruptum autem est illud, quod etiam substantia sua nigredinem habeat: nam Galenus 1. De cris. cap. 12. ait se nunquam aliquem seruatum vidisse, qui talem vrinam minxerit. Malum quoque est lotium viride ac liuidum, & licet vtrunque malum sit, liuidum peius existit. Viride autem fit ratione insignis adustionis: liuidum verò ob exstinctionem caloris natiui. pessimum quoque est oleaginosum: quoniam indicat colliquationem. Non minus & illud, quod contenta habeat ad similitudinem farinæ crassioris, orobi, vel furfuris, vel contenta sint nigra ac mellis consistentiam habeant. Nam & colliquationem interdum indicat

Herephonti febris acuta.

Lotium bonum.

Lotium malum.

dicat

dicat in partibus solutis. Subiugale verò instar iumentorum ex mente Gal. 4. aphor. 20. cum à materia crassa & densa fiat, quæ à calore agitatur, indicat longitudinem morbi. & ideò si tale circa ægros appareat, non ilicò est dicendum actum esse de ægro: cùm etiam possit indicare longitudinem morbi: interim, circumspiciēdum si ita turbidum lotium appareat in febre maligna, aut pestilenti, cum malò colore nempe liuido, hoc ipsum lethale erit: quemadmodum euenit mulieri Delphensi ex febre pestilente ad fossam aqueam decumbenti, in domo, cui lutra pro insigni erat, quam & morituram diximus. Tale quoque sine malo colore potest etiam minus malum esse, & signum cruditatis vt in sanis obseruatum est turbidum mictum & ita manens pessimum quoque est, vt in sacerdote illo, qui apud Iohannem Sasbotum seniorem Delphis peste laborabat. cum fœtore mortem præsagiebat, eoq; magis cum in pectore petechiæ nigræ apparerent, ita vt tertio die ad eum accitus mortem quarto prædixerim, vti quoque in eo obseruatum est. Vxor Philini in Thas. cum in 11. post delirium, vrinam multam cum conuulsionibus, crassam, albam, iumentorum similem meieret, cum aliis malis signis, vt habetur apud Hippoc. 1. De morb. vulg. ad diem 17. cum obmutesceret, 20. animam egit. Rubrum autem lotium vt Gal. ait 1. epid. sectione 3. comment. 23. indicat morbum securum sed diuturnum, quia ob sanguinem magis tingitur & non ob bilem, & ideo eiusmodi febres magis salubres. sed diceret aliquis quod tales citius terminarentur, & quod diuturnitatem non indicarent. fit hoc quod cruditatem notat. tamen quarto aphorismorum, aphor. 71. dicitur, quòd vrina rubra in quarto apparens, quòd in septimo die finiatur. Quomodo igitur rubor diuturnitatē significat? At Galenus monet si talis vrina cum contento rubeo apparet in die iudicatorio citò salus exspectanda: si appareat in die

Vxor Philini

non iudicatorio diuturnum morbum significat. Cæterùm non solùm vrina liuida in hac muliere mortem prætendebat, sed & sanguis, qui ex naribus fluebat, vel potius stillabat, & non copiosè efflueret, pessimum quoque signum erat: nam cùm & Philisco apud Hippocratem, quinto parum de naribus idq; merum stillaret, & nigra minxisset, vt prius dictum est, sexto obiit. Dicit autem Galenus ibidem in comment. quòd ater sanguis erat, qui vbi stillat semper lethalis est, ruber autem nequaquam: modo copiosè aliquo modo effluat. nam dicit quod rubri stilla siue sanguinis puri in morbo exitiali visa nunquam est, sed atri semper. Cùm huic puellæ sanguis è naribus stillaret non aderam, dicebant tamen quæ aderant ex mulierculis rubrum fluxisse. quia tamen tantum stillauit & non satis copiosè fluxisset, vrina liuida & cætera mala symptomata quæ aderant, mortem præsagiebant.

Sanguis è naribus fluẽs quando lethalis.

OBSERVATIO VII. DE PVTRIDA febre continua, maligna cum vermibus.

MERCATOR Pithueriensis circa mensem Martium, anno 1546. cùm ibidem praxim adhuc exercerem continua febre acuta & maligna correptus est. cui dolor capitis aderat vehemens, qui maximè in acuta continua adesse solet, ex frequẽti & continua ebullitione putridi caloris superflui, vaporibus malis inde sursum ad meningas cerebri sublatis, atque in iis malam intemperiem inferentes & eas extendentes solutionem continui, & capitis dolorem adferentes, huic & paraphrenitides, deliria, vigiliæ, cùm & calidi vapores, ignei & exsiccantes humiditatem cerebri resoluunt, spiritusque animales afficiunt & actiones lædunt. vnde somnia terribilia: cui etiam angustia totius corporis aderat & inquietudo,

cùm materia febris continuæ & acutæ subtilis ac mobilis sit, & ideò pungendo, agitando, modò hanc, modò aliam particulam corporis infestat. sitis quoque aderat vehementior ob vapores calidos ex minera putredinis, hinc stomachum siccitate lancinat, œsophagum, linguam & palatum, & ideò lingua quoque aridior. Aderat pulsus velox, inæqualis, qui etiam teste Gal.4. de caus. pul. in acutis febribus adesse solent. Spiratio quoque huic maior & anhelitus ob calorem in corde valdè intensus. rubea quidem vrina, sed tenuis. Hæc cùm animaduerterem & aluum strictam haberet, vt enema iniiceretur mandaui ℞ folior. maluæ viol. bethæ. Mercurialis ana m. j. prunor. Damas. numero xiij. thamarind. ʒ iij. fiat decoct. in aqua communi, & in lib. j. dissolue cassiæ, pro clysteribus ℥ j. benedictæ laxatiuæ (nam in ventre aliquo modo dolebat) ℥ ij. ol. viol. ℥ iij. vitellum vnius oui, salis communis ʒ j. secundo die ab initio morbi post horã quartam pomeridianam cùm prius vocatus essem, clyster iniectus est; aluũ probè reddidit, ita vt minus capite doleret. At manè febre nullo modo diminuta & continuò affligente, quamuis vrina nunc crassior apparebat & rubra, & venæ sanguine repletæ vndiq. spectabantur, & Vere instante in quo solitus erat sanguinem detrahere, ad vncias octo ex vena basilica secta fluere feci, cùm robustus foret, & bene ferret. Et quamuis die præcedente ex clysteri ter aluum deposuisset, quæ postea minus respondebat, cùm etiam circa cor angeretur, syrupum sequentem propinaui ℞ syr. ros. solutiui ex infus. ros. pallidarum. sy. viol. ana ℥ j. ß. sy. de bugloss. ℥ j. aq. end. borag. ana lib. ß. fiat iuleb. pro tribus vicibus à sectione venæ dolor capitis plurimum mitigatus

erat. Tertio die vocationis nostræ, qui erat quartus ab initio morbi, aluo ex præcedente iulebo, lubrica facta, tussis eum inuasit, pectore dolebat, augebatur circa præcordia & ventriculum dolor. Ad tussim mitigandam & sitim, capiebat sy. viol. & iuiubinum diadrag. frigid. pectus inungebatur linimento sequenti ℞ olei amigd. dul. viol. ana ℥ ß. butyri recentis loti cum aquæ viol. pingued. gallinæ ana ʒ ij. ceræ albæ modicum fiat linimentum. Quinto die cùm aluus non responderet cassiæ ʒ vj. & pulpæ thamarind. ʒ ij. dissoluta in ℥ iij. seri lactis sy. ros. solutiui ℥ j. ß. ebibit, ac multa liquida & humorosa excreuit. Circa ventriculum cùm adhuc doleret oleo cithoniorum inunximus, postea etiam mastichino adiecto. Ad somnum conciliandum hordeato vtebatur. Septimo dolor ingens in renibus, & aluus rursus restricta. enema iterum iniectum est, & dolor cessauit. quanquam cerato infrigidante Galeni lumbi quoq. inungebantur caphuræ exiguo adiecto, ita vt octauo die melius habere videbatur, & in nono quasi à febre liberatus, ita vt me relinqueret. decimo tamen quarto die ab initio morbi febris rursus increbuit, & adeò illum affligere cœpit, vt delirium subsecutum fuerit, & permansit tribus diebus continuis in delirio, vigilabat nullo somno obrepente, & tandem factus est surdaster, ita vt astantes eum pro deplorato haberent, adhibita sacra inunctione (vt vocant; quæ sacerdotibus sacra ancora est, & morituros ea muniũt) quæ in fine adhiberi solet. Eo autem tempore extra vrbem ad alium decumbentem euocatus eram, sed cùm intellexissent me rediisse, denuo ad ægrum accitus fui, quem ex priori morbo, à quo videbatur euasisse, magis debilem inueni, dentibus stridebat, nares palpa-

palpabat, quæ mihi præbebant ſuſpicionem vermium,qui in eiuſmodi febribus putridis & malignis ſæpe adeſſe ſolent. Cumque eo tempore per duos dies rurſus aluum non depoſuiſſet, clyſterem iniicere iubeo, ad materiæ putridæ auerſionem, quæ ad caput tendebat, ſurditatem & delirium inferens: ita clyſter paratus erat. ℞ iuris pulli decocti cum lactuca, viol. maluæ lib.j.caſſiæ extractæ ℥ j. elect. hieræ picræ (ob vermes & materiam aliquo modo pituitoſam: nam aliquando etiam præter delirium ſopore afficiebatur) ℥ ß. olei oliuar. viol. ana ℥ j. ß. ſalis ʒ j. fiat clyſter. bene excreuit, & vermem in excrementis conſpeximus. à clyſteri parum melius habere viſus eſt, delirio nondum ex integro ſedato. At cùm per interualla ad ſe rediret, dicebat ſe ſubinde dolorem modò circa ventriculum, modò totum ventrem ſentire. Verùm cùm confectione ſequenti vteretur, quatuor deinde vermes admodum longos vomitu per ſuperiora & quatuor per aluum vnà cum excrementis valdè malè olentibus deiecit. Tale erat electuarium in tabul. ℞ ſpecies diarod. abb. ſpecies diad. frig. ſpecies cordial. coralli rubri (nam fluxus quaſi ſymptomaticus poſtea acceſſit) cornu cerui vſti omnium ſubtiliſſ. pulueriſatorum ana ʒ ß.diſſol.in aqua portul. bugloſſ. adiecto zach. albiſſ. q. ſ. fiat confectio in tabul. capiebat bis in die ʒ ij. vel iij. interim ad ſomnum conciliandũ & delirium tempora inungebantur cum oleo mandrag. pap. & vng. populeo ſimul mixtis. Altero die, dictu mirum, cùm continuo ex iſtis tabulis ſumeret, denuo adhuc quatuor vermes vomitu, deinde adhuc quatuor per ſeceſſus magno impetu reiecit, quibus mox fluxus ceſſare cœpit & priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, antea tamen

surditas cessauerat, iuxta illud prognosticon Hippoc. lib. 4. aphor. 60. inquiens: quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, soluit morbum cùm surditas hæc euenerat: vti & Gal. refert in commento eiusdem aphorismi, ob biliosa excrementa retenta: vnde & delirium, cùm hæc ad caput recurrant, & turbatione alui cessauit surditas. At delirium non ita subitò, nisi post vermes deiectos vaporibus ex putredine ad caput elatis, nunc minus euaporantibus: cæterùm expulsis vermibus febre cessante præter omnium opinionem curatus fuit. Hic autem erat omnium ægrotantium postremus, quem præ manibus in Gallia in nostris curationibus habuimus, quanquam & alios anteà habuerimus, de quibus suo loco. Nam post hunc curatum patriam accessi; vt & amicis ac ciuibus in morbis curandis inseruirem.

SCHOLIA.

HÆC erat febris maligna & acuta, quæ licet septimo videbatur sopita, postea rursus inualescens, pessima symptomata produxit, cum & septemdecim vermes in totum reiecerit, qui in eiusmodi febribus putridis spectantur, qui suo fœtore non minus quàm humores calidi euaporantes delirium adferre solent. in hac curatione illud notatu dignum, quod cornu vstum (vt sæpius aliàs experti sumus) maximè confert in febribus eiusmodi malignis, vbi fluxus adest, & vermes etiam intestina lancinent. Et quanquam hæc febris in principio non videbatur maligna. circa vigorem seu statum symptomata peiora emerserunt, licet hæc fuerit continua acuta non exactè, sed potius per decidentiam cùm 20. die prius fuerit soluta. erat tamen valdè maligna ob sæua symptomata, quanquam huic vires adeò non fuerint deiectæ, quin morbum grauem, licet

præter

præter opinionem multorum, tandem superauerint. Et ideò medicum non solùm in febri acuta, sed etiam in omni morbo meminisse oportet, si salutem aut mortem ægri denuntiare velit, vt hæc tria probè cognoscat, ægritudinis vehementiam, & ægri virium quantitatem, & statum ipsius ægritudinis. Quemadmodum enim impoßibile est aliquem scire, qui onus sustinet, num ad eum locum peruenire poßit quò tendit, nisi sciamus eiusdem qui onus sustinet, vires, & quantitatem oneris, ac spacium viæ, qua tendit. Mors enim aut vita habetur ex virium dispositione & signis alterationis vniuscuiusque duarum rerum & sui contrarij. at quanquam vires maximè ex pulsu cognoscantur, in febribus potißimũ acutis, Hippocrates *iußit vt omnium primò faciem ægrotantis contemplaremur: nam hæc ipsa si repentè macilenta euaserit absque causa manifesta, ea ipsa nobis semper suspecta esse debet, quemadmodum & in acuta febre vultus quidem toruus aut minus quàm par sit pro morbi vehementia fœdatus, aut præter rationem bene habitus, tutus non est, cùm & facies liuida subitò facta non solùm malum, sæpius & mortem prænuntiat. Vbi enim videris in febre acuta duobus aut tribus primis diebus faciem tornatilem euasisse, malum vtique signum est: quia significat vehementem calorem præter naturam humido prædominari, ac membra exsiccare & depascere, cui virtus resistere non potest: ita vt plurimum terminetur ad mortem. interim circunspiciendum, vt* Hippocrates *monet, ne decipiamur nunquid talis euaserit ob nimiam vigiliam, ob ventris fluxum præcedentem; tunc minus malum hoc signum esse iudicabitur. At illud obseruatu dignum, quod in febre acuta in facie seu genis maculæ nigræ obortæ lethales sint, cùm* Sauonarola *refert se ex tali prognostico magnum honorem esse consecutum. At oculorum ratio maximè etiam consideranda, si lumen refugiant & si æger in fe-*

Signa prognostica febris acutæ.

in febre acuta non videat, signum solet esse lethale, cùm & strabismus per se solum in hac febre malum significare soleat. Vbi verò ægri auersentur lumen cum animalis virtutis casu sæpe pro lethali signo habitum est; modò non fiat ob dolorem fortem, nam eius ratione ipsi ægri tenebras captant. Intuitus persistens absque palpitatione & motu malus censetur, & lippitudo valdè sicca. ita & nasus tortuosus propinquitatem mortis ob conuulsionem designat etiam compressus, sed & aqua citrina è naribus stillans quandoque mortis signum præbuit. neque illud signum bonum est iuxta Auic. si æger digitum aßiduè in nares demittat, quasi eas expurgaret absque causa manifesta. quibus & attractio aëris continuò in naribus fiat, quiq; anhelitu piscium odorem aut butyri redolent, illud quoque pro malo signo habetur. Aures frigidæ contractæ & fibræ earum versæ malum notant si quæ sordes aurium dulcescant. ab antiquis & Galeno pro lethali habebatur. Si per febrem acutam etiam obsurduerint, pestiferum; nisi aluus cita, tum cruor è naribus fluens, vt paulo antè dictum est, accesserint. Dolor quoque auris in febre acuta, vt Auicenna refert metum incutit si ægrum quiescere non sinat, ita vt sæpe lethalis fiat, nisi ex iis quid fluxerit, idq; potißimum in senibus. quanquam in iuuenibus etiam mortem inferat, antequam abscessus fiat & saniem fundat ob sensuum vehementiam eorundem. Vbi quoque caput repentè dolet ac vehementer ægrum affligit & præcordia tensa & reuulsa fuerint, insaniam aut delirium portendunt, nisi sanguis è naribus fluxerit. lingua si exasperetur & nigrescat in 14. quandoque moriuntur. vbi os exsiccatur & febris increscat, malum. Scißio labiorum in febre acuta, inflammationem arguit aliquando & crisim, si cum alleuiatione contingat in die critica, bonum est: fœtor malignus ex ore egrediens, in feb. acutis significat maximam putredinem, & sæpe lethale habetur:

betur. At videndum ne decipiamur. potest esse corruptio quæ in corpore lateat vt in secundinæ retentione aut fœtu in vtero mortuo existente: vti euenit, M. Iohannis Buggij vxori, quæ tamen euasit, fœtu corrupto per partes expulso. vox robusta & loquela concinna, bonum: è contra malum, os manens apertum, ac siccitas linguæ exsuperās, labia incrassata vel subleuata in febribus acutis malum. Stigmata supra linguam & tubercula instar cicerum nigra, lethalia à nōnullis censentur. Asperitas linguæ & siccitas excedens, delirium & phrenitidem quandoque præsagit. præsuffocationes gutturis prauæ cùm mors instet, at sine spuma lenior est colli contorsio deglutionem auferens, pessima, & si potus per nares reiiciatur, cùm & testiculi contracti vnà cum virga in febribus acutis mortem subinde intulerunt. Somnus profundus ex virium imbecillitate, malum indicat: & si senes in febribus acutis multum dormiant, fidere non oportet, cùm robur deiectum sit, floccos euellere, paleas colligere mortem propinquam esse sæpius arguunt. Dolor *vehemens ac calor internus, cum partium externarum frigiditate inflammationem internam notant, ac pro malo signo & plerumq. lethali habetur. liuor digitorum ac vnguium mortificationem præsagit: decubitus supinus in non consuetis, frigidiq; sudores in febre acuta mortis nuntij sunt; in mitiore morbum longum denuntiant. dentes lenta sorde infecti febrem magnam adesse testantur, anhelitus è corpore exiens frigidus, malum: nam caloris innati exstinctionem præfert, at interceptus non minus malum esse intelligitur. pulsus caprisans cum virtutis deiectione, formicans, dicrotus, diuersus cum magna duritie malus. Hæ quoque malæ febris notæ sunt, sopor, vigilia, caligo oculorum, singultus, lassitudo, exudatio, animi deliquium, inquietudo, sanguinis stillæ, pusillæ, sudor frigidus rigorem sequens, atrabilis per initium sursum vel deorsum erumpens.*

pens. vomitus sinceræ bilis, magis si niger aut viridis humor prodit. Nocet aluus ex toto suppressa, vel nimium soluta, vt ægrum in cubili non patiatur conquiescere, maximè si liquida, pallida, alba, spumantia deiiciat. mala quoque, exigua, leuis, tenax, alba, & liuida, biliosa, cruenta, pinguis, aut insueti fœtoris materia. Aluus varia, quæq; strigmentum, cruorem, bilemq; viridem fundit, aut quæ post longam ægritudinem sincera est. Lumbricos quoque per febrem deiici tutum non est, præcipuè ante morbi declinationem. Sed sub acuta febre viuos eos excludi, haud iuxta periculosum est, potissimum ad meliorem iam valetudinem inclinante homine, at vita cassos exisse prorsus inutile est, idq; declinante morbo; per principium tamen febrium mortuos esse præstat, viui enim pestem minuunt. At noster æger partim viuos partim mortuos eiecit circa finem morbi, quamuis vnum tantùm cum primo clysteri eiecerit, reliquos postea, & hic saluus euasit. Antequàm ad alia signa prognostica progrediamur prius exemplum interponamus: nam exemplis (quæ nunc diximus & quæ postea dicturi sumus) hic tractatus multo clarior euadit.

OBSERVATIO VIII. DE FEBRE ACVTA CONTINVA XIIII. DIE PER fluxum sanguinis narium terminante.

IVVENIS annos natus viginti septem, in otio viuens, quamuis biliosus ac hepatis calidioris, qui cùm itinere pedestri seipsum fatigasset, ac ad hospitium veniens ceruisiam crassiorem bibens, rursus sese itineri accingens, sudore madidus, cùm domum peruenisset ac siti ingenti premeretur, cumque ceruisiam tenuiorem bibisset admodum copiosè, maximam angustiam pectoris incurrebat, vt difficulter anhe-

anhelitum trahere posset, exiguo rigore correptus febrem continuam incurrebat, quæ die sequenti magis increscebat, rigore amplius non superueniente: capite supra modum dolebat, sitiebat, & quæ bibebat ilicò euomebat, quæ valdè amara erant: ad hunc accitus, cùm feces eo die excreuisset, & venæ satis amplæ apparerent, quamuis in homine bilioso, tempore quoque verno existente, licet magis ad finem ver tenderet, sanguinis vncias octo ex basilica dextri brachij illicò demere feci, & vt paulò pòst ℥ vj. aquæ hordei, cum ℥ j. ß. sy. de limonibus adiecta esset, ebiberet mandaui. prima quidem vice euomuit, sed post meridiem cùm idem iuleb. sumpsisset, retinuit. nocte subsequenti melius habere visus est. At manè rediens valdè incalescebat, dolore capitis tunc magis increscente. quarto die atramentum cassiæ ebibit, quo multa liquida & malè olentia & biliosa excreuit. Quinto cùm valde sitiret, neque calor febrilis sese remitteret, hunc syrupum sequentem propinaui ℞ sy. de ribes acetositatis citri de succo acetosæ ana ℥ j. aqua end. cichoreæ borag. ana ℥ ij. misce pro duabus vicibus: hæc enim faciebant ad febris malignæ acredrinem domandam ac infringendam, quæ spiritus lancinat & vires dissoluit. Sexto pauca biliosa reddidit, & cùm non bene dormiret, hordeatum sub noctem exhibuimus. Septimo die, vrina quidem erat rubra cum leui sublimento. Nono prius subsidebat, vnde ægrum sperare iussi, cum octauo die præcedente dilutum rhabar. sumpsisset, quo & multa deiecerat. Decimo hunc iulebum longum parare iussimus, cùm calor febrilis nondum ex integro cessaret. ℞ rad. cichorij dentis leonis macerat. in aceto ana ℥ ß. flor. viol. nenuphar. borag. ana p. j.

acetosæ end. cichorij dentis leonis viol. borag. ana m. ß. hordei mundati p. j. se. quat. frig. maior. ana ℥ j. se. acetosæ portul. ana ℥ ß. prun. sebesten. ana numero xiij. liquir. rasæ ℥ iij. fiat decoct. in aqua communi pro lib. j. ß. sy. de limonibus, de acetos. citri oxizach. simplicis ana ℥ j. fiat iuleb. capiat in aurora & vesperi ℥ vj. eo se delectari aiebat. Vndecimo sudare cœpit, & lotium crassum rubrum mingebatur, per se aluum illo die deiecit, vti & 13. die. at sub noctem peius habuit, capite supra modum dolebat, oculi rubicundiores. 14. die sanguis è nare dextra copiosè admodum fluxit, & data opera ipsum fluere permittebam, neque remedium aliquod pro eo sistendo moliebar, quanquam assistentes timebant ne ex nimio fluxu animi deliquium incurrisset, ab eo tempore melius habuit & pristinæ sanitati restitutus est, victu conueniente eundem refocillando.

SCHOLIA.

VRINA *hic in principio quamuis erat tenuis & rubra postea crassescens, & subsidens salutarem morbum præsagiebat: dictum enim est antea Scholia Obser. 6. huius libri, quod vrinæ iudicium in febribus, præ reliquis signis etiam maximam vim habeat. At pessima est diluta alba in acutis febribus, quæ & periculum insaniæ præsagit. Æquè inutilis, in qua quod subsidet, subrubrum aut liuidum est, aut tenuibus filamentis, furfuribúsue simile quid repræsentat. Sed minus efficax est eius signum in febribus pestilentibus, quamuis bona, ægrè ad mortem tendat, de quibus suo loco. Mingunt quoque ægri pessimas ac malas vrinas, quæ cùm sit expulsio cretica, pro bonis habentur. Si igitur bona cum aliis signis bonis, bonum præsagit: si mala cum malis, malum. Si retineatur, aut parum*

Indicia vrinæ in febribus acutis.

mingi-

mingitur in febribus acutis malum significat, & pugnam vehementis ægritudinis & naturæ quæ superatur, decumbit aut vincit, laborem in nocte & materiæ craßitiem: in febribus non ita acutis longitudinem notat. Quando vrina mingitur subtilis & deinde crassescit, febrem vehementis adustionis cum signis malis significat, inflammationem in hepate: & si crassa mingitur, & clara euadat ante crisim, non est bonum. crassa verò & turbulenta in qua non subsidit aliquid & non clara fiat ebullitionem humorum indicat ob vehementiam caloris extranei, debilitatisq́ virtutis coquentis; & ideò mala. Vrina nigra in febribus nisi aliunde venerit à renibus, vtero, lethalis, & pauca exiens cæteris paribus deterior, significans maiorem humiditatis absumptionem, & quantò craßior, eò malignior. Aquosa quoque perseuerans fœtida, nigra, crassa, mala rubea verò cum rubedine subtili, cum signis malis mortis velocitatem arguit. Vrinæ turbatæ quæ hypostha sim crassam velociter faciunt, significant velocitatem morbi cessantis 4. aphor. comment. 72. Quæ hypostha sim non faciunt turbatæ, si vires fortes, longum morbum: si debiles, mortem indicant. Vrina habens nebulam rubeam in quarto die, in septimo crisim facit; at alba adhuc certior & dignior est. 4. aphor. 73. comment. si nebula sit in medio suspensa, continua, æqualis. Vrina habens hypostha sim laudabilem vna die, & alia non, signum est, quosdam humores concoqui, alios nequaquam: & ideò longa ægritudo significatur 2. prog. comment. 26. Vires ægri igitur consideranda, si fortes, & exspectare poterit finem morbi, nec ne, vt rectè iudicemus & victum præscribamus. Vrina si nigra fuerit & ad croceum colorem in circulo vergat, cum febre acuta sine ægri alleuiatione, lethale. Vrina sine aliqua hypostha si in febre acuta & ita permanens, nihil boni significat. At ea erat laudabilis quæ hypostha sim albam atque subsiden-

tem, æqualem, continuam, leuemq́; habeat sic perdurans vſque ad criſim; hæc fida eſt, & nuntia ſalutis, & breuitatem ægritudinis ſignificat. Quæ hac caret, diuturnitatem morbi præſagit, neque fida eſt: vt habetur 2. *prog. text.*26. *Rubra verò cum ſimili hypoſthaſi, longam quidem ægritudinem notat, ſed fida ac nuntia certa ſalutis:* 2.*prog. text.*27. *arguit enim ſanguinis dominium cum aquoſitate; Galeno interprete: & in febribus ſanguineis magis commendatur. Nebula pendens in vrina, ſi alba, bona: ſin nigra, mala. Alba, diaphona, clara, & citrina morbum crudum notat.*2.*prog.text.* 30. *& ſi virtus fortis, digeretur; ſin debilis, morietur infirmus.*

OBSERVATIO IX. DE FEBRE continua, bilioſa, acuta cum apthis.

VIR triginta annorum, macilentus, exiguæ ſtaturæ, bilioſus, qui in horto Henrici Moermeeſterij pharmacopæi noſtri habitabat, magno onere oppreſſus, cùm baiulus frumentorum eſſet, per totum diem fatigatus, mox refrigeratus, in febrem incidit bilioſam, malignam cum apthis, tempore autumnali, cum etiam hæ publicè graſſabantur, cum febribus etiam excreſcentias habentibus. Hic cùm ſecta illi vena eſſet, ac ſanguis ad vncias ſex extractus, ac inſuper ſyrupos refrigerantes acetoſos ebibiſſet, neque calor febrilis diminueretur: quarto die cùm aluum non deponeret, hoc ſequens medicamentum ebibit. ℞ caſſiæ recenter tractæ ʒ vj. pulpæ thamarind. ʒ iij. elect. de ſucco roſ. ʒ ij. Aquæ end. ℥ iij. ß. ſy. ex multiplici infuſ. roſ. ℥ j. miſce, fiat hauſtus. quo multa bilioſa, & tenuia egeſſit. interim pro apthis vtebatur hoc gargariſmo. ℞ plantag. viol. bellidis

bellidis minoris ana m. j. hordei communis non excorticati ad maiorem absterſionem ℥ j. vel p. j. ſe. cithon. ʒ j. ß. bulliant in aqua communi pro lib. j. colæ adde diamor. ſy. granatorum ana ℥ j. mellis roſ. colati ℥ ß. miſce pro oris collutorio & gargariſmo. Hoc quoque iulebo vtebatur ℞. decoct. hordei mundati ſeu aquæ illius claræ lib. j. ſy. granat. ſy. de ribes oxizach. ſimplicis ana ℥ j. miſce. Vrinæ erant tenues, rubræ, & in medio ſuſpenſa habebant diuulſa, non ſubſidebant niſi circa ſeptimam: octauo igitur die cùm aluum non deponeret, hoc medicamentum purgans dedi. ℞ rhab. ſelecti ʒ j. ß. ſchœnanthi ℈ ß. infunde, per noctem facta prius leui ebullitione in ℥ v. aquæ end. manè fortiſſ. expreſſioni adde mannatis ſelecti (quia erat eius vxor nutrix filiæ pharmacopæi, ideò ſumptus ferebat) ℥ j. miſce, & fiat hauſtus, ex quo quinquies multa tenuia, bilioſa iterum egeſſit; nocte ſubſequenti melius habuit. Verùm die ſequenti cùm calor febrilis nondum ex integro ceſſaret, ad hepatis infrigidationem me conuerti, & ſequens epithema præſcripſi. ℞. aquæ end. ℥ vj. aquæ roſ. ℥ ij. ſantalor. rub. ʒ j. ß. ſpicæ ʒ ß. ſpodij ʒ j. aceti ℥ j. ß. miſce pro hepatis epithemate. Ad cordis quoque refrigerationem etiam hoc ſequenti, in aliis quoque ſimili febre laborantibus, commodè vſi ſumus. ℞ Aquæ roſ. ℥ iij. aquæ acetoſæ bugloſſæ ana ℥ ij. aquæ melliſſæ ℥ j. ſantali rub. ʒ j. ß. coralli rub. ʒ j. ſantali citrini ʒ ß. caphuræ gra. iij. croc. gra. ij. vini optimi ℥ j. miſce pro cordis epithemate: quibus calor multum mitigatus eſt. capiebat etiam triaſſandalum in tabul. ʒ ij. ſuperbibens ℥ j. aquæ endiuiæ. poſtea in vrinis ſubſidentia alba lenis conſpiciebatur. ſudauit & iudicatus eſt perfectè vndecima die. At alteri qui hoc eo-

dem tempore decumbebat, cùm vrinæ in principio inconcoctæ essent, postea etiam nigræ, & quædam in medio suspensa innatantia habentes rotunda, non subsidentes, septimo obiit. cui etiam conuulsiones multæ cum sudore circa mortem non aliter quàm Erasino (de quo narrat Hippocrates) euenit, qui habitabat circa Bootæ torrentem, qui post quintum, cùm insaniisset, neque se continere potuerat, similiter mortuus est, cui & extremitates frigidę, subliuidæ erant; cuius historiam habes 1. De morb. popularibus.

SCHOLIA.

HVIC primo ægro cùm in vrina subsidentia alba, lenis præcessisset, & sudauerat, perfectè 11. die iudicatus, & sanatus est: quemadmodum & Melidiæ apud Hippocratem 1. De morbis vulgaribus euenit, quæ iuxta Iunonis templum decumbebat, cui & vrinæ perpetuò boni coloris erant, licet tenues, postea in ipsis etiam subsidentia alba, lenis, sudore subsequente. Alteri verò mors subsecuta (vti Erasino apud Hippocratem 1. De morbis vulg.) cui vrinæ nigræ: ita quoque vrina aquosa, fœtens, nigra, lutosa, crassa, turbida, mala: aquosa enim arguit inobedientiam materiæ & virtutis digerentis impotentiam: nigredo verò extinctionem, mortificationem, adustionem. Turbulenta in augmento, conturbationem extremam in humoribus, & tunc lethalis est. In statu autem & declinatione minimè, cùm contingat per modum repurgationis vel mundificationis, cùm humores, & superfluitates vrinæ permisceantur. Aquosa verò cuius substantia est tenuis, & color eius albus, significat indigestionem humoris in fine, & debilitatem virtutis efficientis coctionem. Neque hæc signa bona sunt post appetitum, post longas febres, cibum fastidire cœpisse, aut multos sudores adesse eosq́; frigidos, aut eos

Melidia ægrotans 1. De morb. vulgaribus.

Erasinus.

Signa mala.

aut eos non ferri toto corpore æquales, sed circa caput tantùm, & circa ceruicem. Ad hæc sudoribus febrem non finiri, aut post hos horrorem incidisse. Auriginem ante coctionem, vel ante febrem, vel statim cum ea incœpisse. Æquè horrendum, febricitantem multùm atque crebrò spirare, itemq; in sexto die incepisse inhorrescere, difficulter ferre morbum, præterq; rationem sine vasorum inanitione imbecillum esse, minoranteq; febre insudare, aut modò frigidum, modò calidum esse, variisq; sæpe coloribus affici. Tum etiam quod aliqua parte corporis abscessit, id non maturescere, sanitatemq; non consequi, aut ipsum inter hæc ægrum passis manibus pedibusq; supinum cubare, somnum totis noctibus non videre, quantumuis interdiu is accedat, peiusq; est, neque per noctem, neque de die inquiescere, sed continuam vrgere implacabilem vigiliam. Vide de vxore Philini *in* Thaso *apud* Hippoc. 1. *De morb. vulgaribus ægrotantem, cui somni non aderant, extremitatesq; frigebant, & in sexta delirabat, & in* 8. *similiter & in* 11. *cui etiam circa* 14. *diem palpitationes per totum corpus, sermones multi, parum resipiscebat, verùm statim rursus delirabat. Circa* 17. *voce destituebatur, vigesima mortua est. Sic & in* Dealcis *vxore lib.* 3. *De morb. popul. quæ in* Leio *decũbebat ex febre horrida acuta, quæ ad finem perpetuò, semper tacita manibus palpabat, vellebat, scalpebat, pilos legebat, lachrymæ & rursum risus, non dormiebat: nona delirans:* 14. *spiritus rarus, magnus per tempus, & rursus breuispira.* 20. *sermones multi, voce destituta* 21. *mortua. Contra quoque malum iugi ægrum somno sopiri. Atque hæc sunt quæ terrere metu periculosæ febres possunt. magis autem in senibus, quibus,* Hippocrate *teste, febres acutæ non similiter fiunt: quod si fiunt, plærunque lethales sunt, aphor.* 14. *lib.* 1. *&* Galenus *in comment. rationem latius declarat. Sic* Petrus *aduocatus in* Hagha

Vxor Philini.

Vxor Dealcis in Thaso.

Comitis, præ aliis omnibus senior, cui Rotro, à Roterodamo nomen erat, annos natus 84. cumq́; pedes ex Hagha Delphos venisset atque iterum rediisset, vena huic in renibus rupta est. Hippocrates noster diuinissimus, corpus derepentè mouere rectè periculosum pronuntiauit aphor. 51. libri 2. plurimum atque repentè euacuare &c. Quamuis id in iunioribus minimum periculi fortè portendit: in senioribus verò ac debilioribus, periculosissimum. Huius lotium cùm ad me transmissum esset, cùm sanguinolentum, ac de vena rupta prænuntiassem, tandem coram ægrum me vocarunt. Cumq́; eundem inuenirem ex febre acutissima decumbere, eumq́; delirare & per nares sanguinem stillare, in sene mortem prædixi: at cùm aluus non flueret, lenitiuum exhibui, quo bene excreuit, & ad somnum conciliandum etiam hordeatum: sed cum nihil proficerem, præhabito prognostico, vitam cum morte finiebat. quemadmodum & senex presbyter ille Iohannes de Blaysvvijck annorum 82. cuius mater numerosam prolem pepererat ad 24. vsque. Hic cùm pedestri itinere ex Hagha Comitis Delphos iret, in acutissimam febrem, tum pleuritidem incurrebat, ad quem vnà cum Cornelio Ericio Leydio Collega meo accitus, medicamenta nihil iuuarunt, circa finem mensis Augusti anno 1565. obiit. Rarissimè senes ex febre acuta euadunt. Et sic supradicta in febribus acutis medico non sine ratione metum incutiunt. Hæc verò subsequentia bona signa perhibentur. Si aurigo (teste Hippocrate) septima febris die vel nona, vel 11. vel 14. mollibus præcordiis oritur: vt Pastori quondam Haghano euenit, ac aliis multis: Si æger morbum facilè sustinet, nulloq́; conflictatur incommodo: si mente constet: si bene se habeat ad ea quæ offeruntur: si neque somno, neque vigilia nimia opprimatur, noctu dormiens, & vigil interdiu: Si post somnum firmior est & leuior: Si non difficulter spirat, quod certè signum

Præsagia salutis in febribus.

omnibus

omnibus febribus, quæ intra diem 14. finiuntur, principem inter bona locum habet: Si denique constat appetentia, vel ab initio seruata, vel etiam post cibi fastidium orta: Si præcordia sine vllo sensu doloris, æqualiter mollia parte dextra sinistraq́; sunt. Quod si quoque vomitus incidit, si is mistus est ex bile & pituita: si id quod in vrina vel subsidit, vel in medio suspenditur, vel superius innatat, sit album, lene & æquale. præstabilius autem est si nubecula ad imum matulæ consistat. Si insuper deiectio alui mollis est, & probè figurata & rufa vel modicè citrina, neque supra modum fœtens, eiusq́; moles assumpti cibi respondet, & si fiat eodem tempore quo per secundam valetudinem eruptio fieri solebat: si totum corpus sit æqualiter molle ac calidum, æqualiterq́; resudat. Si sudore maximè in die critico febris conquiescat: Si æger facilè conuertitur; si decubitus sit naturalis: Si ea quæ ex corpore efferuntur, sine multa molestia & post concoctionem efferuntur: Si post eandem concoctionem labra, nares, aut linguæ extremum finduntur, pustulisq́; minutis exulcerantur: Si denique concoctio citò fieri incipit cum pulsu constanter bono; & vt summatim dicam: Si principes virtutes earumq́; actiones fortes sint vel debiles. hæc enim præcipuè iudicium confirmabunt. & ideò Auic. 2. quarti signa, inquit, bona sunt, tolerantia ægritudinis, fortitudo virtutis, similitudo formæ, quæ & in sanitate aderat, etiamsi accidentia fortia adsint, pulsus bonus, eiusq́; fortitudo, coctionis bonitas, crisis, & alleuiatio post eam, anhelitus facilis, leuitas post somnum, situs iacendi commodus & somnus naturalis. Signa quoque bona cum forti virtute festinam; cum debili tardam sanitatem: ex aphor. 14. lib. 1. Deterior est febris acuta in pueris quàm in iuuenibus: senibus quoque ob frigus minus acutæ fiunt: si fiant, sunt periculosæ & plærumq. tendunt ad perniciem, ob debilitatem Auicenna.

virtutis, resistunt temperaturæ senili, quæ frigida & sicca est, minusq; accenditur. Ceterùm qui exactè de febribus acutis prædicere velit, oportebit omni hora ægro assistere, nam propter subitum motum illarum, iudicium medici quantumuis experti, plærumq;, si omnia non animaduerterit, facilè perturbatur. Huc spectant quæ Hippoc. de præsagiis scripserit, & quæ Gal. De crisibus annotauerit, & quæ apud Auicennam quoque narrantur lib. 4. fen. 2. tract. 1. De prognosticis & cris. & tract. 2. De principio ægritud. Huc quoque referuntur, quæ de temporibus febrium habentur, quatenus sint vniuersalia vel particularia. Vniuersalia quidem, quæ totius morbi siue febris circuitu absoluuntur. Particularia, quæ paroxysmi siue exacerbationis partem metiuntur. Rursus vniuersalia non solùm penes morbi essentiam, sed & penes symptomata & materiæ alterationem distinguuntur. De his omnibus vide Galenum, tum alios, qui hanc rem copiosè tractarunt, quibus modis & status morbi cognoscatur. nam sine horum cognitione nunquam rectè curabis, aut victum probè institues. Copiosè etiam de his agit Argenterius, tum alij quàm plurimi & Gordonius. De temporibus. vide quoque Auic. 4. can. cap. 3. & Aët. ser. 5. cap. 2.

De temporibus febriũ.

OBSERVATIO X. DE FEBRE PVTRIDA, CONTINVA, QVAMVIS lenta, cum alui retentione.

MVLIER quæ ad forum frumentarium Delphis decumbebat anno 1572. mense Octobri, febre putrida, licet lenta, correpta sub noctem magis exasperante. hæc omnia longo tempore euomebat, excrementa vsque ad sex dies retenta erant. Medicus imperitus qui hanc inuisebat ecligmata tantùm

tantùm præſcripſit, vnde magis ad vomitum irritabatur. At cùm hæc meſpila deuoraſſet ſuomet conſilio. vomitus aliquo modo repreſſus fuit, febre magis increſcente. Ad hanc tandem accitus, cùm iam vltra quatuordecim dies ferè decubuerat, neque ſectione venæ in principio vſa eſſet, eam nunc in debili ſatis ægra tentare nolui, multo minus cùm iam vltra ſex dies aluus retenta fuerat: licet enim hic putredo eſſet atque obſtructio, vltima facta indicatione ab euacuatione primarum ſuperfluitatum alui, ab ea tanquam prima in curatione progrediendum duximus. Sed quia valdè debilis erat & macilenta & vires ex longiore morbo deiectæ à leuioribus medicamentis incipiendum eſſe rati ſumus. Cùm itaque nec clyſterem, nec balanum admitteret ℥ j. ß. mannatis ſelecti cum iure pulli ad aluum emolliendam ſtatim propinauimus. Sed cùm ex eo leniente medicamento aluum non deponeret, poſtridie ℥ ß. folior. ſene in decocto communi infuſum leui prius facta ebullitione, atque expreſſum dedimus, in exigua quantitate, ne nauſeam aut vomitum (ad quem prona erat) concitaret, cuius ℥ iij. adiecimus ʒ vj. elect. lenitiui ſy. ex multiplici roſ. ℥ j. quo optimè aluum depoſuit, & cœpit deinde melius habere febre etiam quæ non valdè acuta erat, paulatim deſinente; ita vt mea opera amplius ſe non egere diceret.

SCHOLIA.

QVOMODO *febres optima methodo ſint curandæ, præter Hippocratem & Galenum ac alios præſtantiſſimos medicos plurimum in hac re laborarunt, etiam huius ſæculi medici eximij, vt Argenterius, etiam Donatus ab Altomari qui Galenum contra Argenterium defendit, hoc ſi*

1. Indicatio à morbo, quæ in plures particulares deducitur.

libet perlegere poteritis. Et quantum ad primam indicationem quæ ſumitur à morbo, cùm febris morbus ſit ſui ablationem indicat: vt liquet 8. meth. medendi cap. 1. cumq́; hæc ſit intemperies conſiſtens in caloris abundantia, ea refrigerari debet: vt Galenus 11. meth. cap. 7. De particularibus indicationibus doctè agit. præterea & humectari, cùm & ſiccitatem copulatam habeat: vt 9. method. cap. 4. & ita per contrarium exceſſum curatus. vt eodem 8. method. conſtat, ſiue ea effectu, poteſtate vel ex accedēti refrigerent, vt 11. meth. cap. 5. ſcriptum eſt. Sed quia in febribus putridis ſeptem res occurrunt præter naturam, vt Aëtius lib. 5. cap. 74. ex mente Galeni ſcripſit, à quibus indicationes colliguntur. Humorum, inquam, copia, craſsities, lentor, obſtructio, tranſpirationis detentio, putredo, & febris non intermittens, ſingulis earum ex aduerſo medebimur: multitudini inanitione, craſsitudini attenuatione, lentori abſterſione, obſtructioni apertione, tranſpirationi detentione; ſi fuerit ob quippiam impactum cuti, cum diſcutientibus occurremus: ſi propter condenſationem, cum his quæ rarefaciunt: deinde putredini cum abſtergentibus, alterantibus, immutantibus: poſtremo febri cum refrigerantibus: hinc ſi virtus valida & plethora adſit, ſectionem venæ imperamus; ſi cacochymia, etiam purgamus. At rurſus ſi refrigerando affectum vitioſum ad naturalem habitum & temperiem deducere oporteat, ideò quoquè naturalis corporis temperies, quoad fieri poteſt haud quaquam ignoranda erit. ex hac namque indicatione ſumpta, contrarietatis modus, ſeu menſura ſimul cum eadem febre definitur, ita vt per ea febris auferatur, ſeruetur tamen naturalis corporis temperies. non ſatis eſt admonuiſſe calido affectui frigida, niſi id debita menſura fiat: & licet hoc ſit difficile, tentandum tamen ex propriis ſignis, ea inuenire, quæ libro De temperamentis ſcripta ſunt, tum verò vltra hæc quo magis ſcien-

2. Indicatio ab hominis temperie, ex qua plures aliæ naſcuntur.

gis scientifica notitia sit (inquit. Gal.9. meth. cap.15.) ex ætate, & tota anteacta vita, exercitio, victus ratione constat, cui & regio, anni tempus, cæli status, conuersatio adiunguntur, ita vt hac ratione in partes plures orientur particulares scopi, febris curationem indicantes, siue mauis eas coindicationes appellare. Tertia deinde indicatio, ab aëre ambiente sumitur, quæ & plures alias parit. nam ex quot causis immutetur, tot etiam peculiares scopos producit: nam omnes quotquot sunt apud Galenum, ad has tres præcipuas referuntur. interim vires quæ semper sui custodiam indicant, præcipuè sunt considerandæ. de quibus agitur potissimum à Gal.9. & 11. method. Cùm igitur hîc aluus resisteret, ea mollienda erat: quo factum est, vt æger cacochymia depulsa melius habere cœperit, & à febre liberatus fuerit. Et ita in febribus putridis continuis prius sanguinem extrahimus, si vires admittunt, maximè in principio; deinde purgamus, vbi abundantia simpliciter non adsit, sed etiam humorum aliorum; deinde etiam ad obstructiones tollendas accedimus, & ad febrilem calorem alterandum & refrigerandum. At rursus febris quatuor requirit medicamenta, primum leniens, vt superfluitas in primis viis auferatur. atque hæc lenientia in triplici sunt differentia. nam si materia sit in superiore parte ventriculi, vomitorio indiget, debili quidem si sint superfluitates biliosæ vel aquosæ & tenues. mediocri verò, si crassæ, viscidæ, pituitosæ. lenia sunt iuxta Auic. syr. acetos. simplex, acetum, aqua hord. tepida, ius pulli: mediocri oximel. simplex vsque ad succum raphani cum prædictis. ab oleis abstinendum. ideò pessimè faciunt medici imperiti, qui non oleum febricitantibus exhibent tantùm, sed & antimonium. Noui quendam medicum, qui oleo vsus est in muliere cereuisiaria febricitante, quæ postea relaxato ventriculo nihil retinere potuit. Alia lenientia sunt, clysteres lenientes, vel suppositoria.

3. Indicatio ab aëre ambiente, quæ plures alias parit.

Febris quatuor requirit medicamenta.

toria. Statim in principio non vtendum elect. lenitiuo: quia aliqua electiuè purgantia intrant. Secunda materia medicamentorum, est ipsa præparatio & expurgatio. & hæc rursus duplex, alia cruda, quæ indigent præparatione: cocta verò expurgatione. reliqua sunt diuretica & sudorifera, quæ non exhibentur nisi in fine. hæc satis est admonuisse, de quibus alios auctores perlegito. huius subsequens obseruatio sit pro exemplo.

OBSERVATIO XI. DE FEBRE PVTRIDA, CONTINVA, LENTA, cum humorum craſſitie.

PVELLA pituitoſa habitu craſſiore, quæ apud cereuiſiarium habitabat, in febrem putridam continuam, quamuis lẽtam, incidit cum humorum craſſitie, ſyrio ardente: cùm tamen plus æquo incaleſceret pro habitu ſuo, fecibus communibus prius eductis cum caſſia, altero die exiguum ſanguinis ex vena interna brachij dextri extraximus, ſed quia ſanguis erat craſſior & pituitoſus, poſtea ad incidendos craſſos humores præparandos, aquam hordei propinauimus cum oximelite. Deinde cùm materia nobis videbatur magis cõcocta, hanc purgationem exhibuimus. ℞ diacatholici. ʒ vj. diaphœnici ʒ ij. diſſolue cum ℥ iij. aq. hordei (propter febrem continuam licet lentam) oximellitis ſimplicis ſy. ex infuſ. roſ. ana ℥ ß. miſce, fiat hauſtus. Poſtea decoctum ad obſtructiones liberandas hoc modo præſcripſimus. ℞ corticum rad. feniculi apij cichorij dentis leonis ana ℥ ß. acetoſæ capill. ven. dentis leonis ana m. j. abſynthij communis m. ß. ſe. aniſi, feniculi cucumeris, melonum ana ʒ j. vuar. paſſ. enucleat. ℥ ß. liquiritiæ raſæ ʒ iij. hordei mund. p. j. fiat decoctio in aqua

in aqua communi pro lib. j. colaturæ, adde oximell. simplicis sy. acetosi simplicis ana ℥ j. ß. misce, fiat apozema. 14. die hæc ipsa paululum cœpit sudare. Cùm postea circa ventriculum nonnihil doleret, has tabulas in officina parare iussimus. ℞ specier. aromat. rosſ. sine musco (ab eo in mulieribus abstinemus, ne morbo vterino capiantur) ℈ ij. specier. diarod. abb. ℈ j. zach. albiſ. ℥ j. ß. dissolutis in aqua absynthij fiat confectio in tabulis. sub finem verò etiam vinum Rhenanum cõcessimus, quod quidem aquosum est, obstructiones tollit, & vrinam prouocat. hæc autem 20. die à febre liberata fuit.

SCHOLIA.

QVAMVIS vena sectio nec obstructiones tollit, sanguinem tamen exiguum eduximus, nõ euacuationis gratiâ duntaxat, quemadmodum in ea quæ ex abundantia gignitur, sed reuulsionis causâ id potissimum fecimus. prohibetur enim obstruentium succorum defluxus ex tali venæ sectione, auctore Gal. 11. meth. cap. 10. saltem etiam ipsis humoribus crassis vel lentis existentibus. id autem quod factum est obstructionis, per ea quæ obstructa liberant, curabimus nempe detergentibus & extenuantibus, quare cum crassi humores magis erant parati & extenuati, eos purgatione, quæ tamen febrem non augeret eduximus, & quod reliquum fuit per vrinas & sudores expellere conati sumus.

Sectio venæ non semper fit causa euacuationis sed reuulsionis.

OBSERVATIO XII. DE FEBRE solo minorante pharmaco expulsa.

FAMVLA quæ apud zythepsam decumbebat ex capitis dolore, febre satis valida correpta fuit, epoto medicamento purgatorio minorãte sequenti, paulò

paulo pòst sana facta est. ℞ diacatholici ʒ vj. elect. lenitiui ʒ ij. dissolue cum ℥ iij. ß. decoct. communis sy. rosſ. solutiui ℥ j. misce, fiat potio. qua egregiè purgabatur; interim vt calor febrilis membris adhuc inhærens infringeretur, duobus sequentibus diebus ex hoc iulebo bibens, cùm satis continua febre affligeretur, in totum liberata est. ℞ aquæ cichor. end. borag. ana ℥ iij. sy. acetos. simplicis oxizach. simplicis sy. viol. ana ℥ j. misce pro iuleb. pro tribus vicib.

SCHOLIA.

Vtrum in principio in febre liceat vti pharmaco minorante.

QVÆRITVR *à medicis vtrum in principio in febribus minoratiua pharmaca conueniant modò hoc ipsum sit leniens, sed strenuum lenientibus addendo aliquid exigui medicamenti electiuè, vt vocant, educentis, vt tantum sit calcar in respectu ad leniens medicamentum, potest exhiberi. interim non probamus medicamentum omnino electiuè purgans, quo non est vtendum in febri salubri, modò materia non sit furiosa aut turgens. Minorante igitur vti licet. huius quoque exemplum habemus apud Amatum centur. 3. cur. 39. qui etiam solo minorante pharmaco à febre satis affligente curatus fuerit.*

OBSERVATIO XIII. DE FEBRE continua cum fluxu symptomatico.

PVELLA viginti annorum, filia illius cereuisiarij, pro cuius ædibus gripho insigne erat, anno 1572. mense Nouembri, in febrem cõtinuam lapsa est, ad quam post nonum diem prius ingressus: hæc ipsa subinde delirabat, vermes quoque multos vnà cum fluxu symptomatico deiiciebat, multa corrupta biliosa, liquida per plures dies egerebat, modò sopore, modò vigilia afficiebatur, subinde non constabat mente,

mente, rurſus quæ dicebantur intelligebat. Varia huic præſcripta ſunt, tum amigdulata, quæ tamen guſtare noluit. cornu cerui vſtum huic propinatum eſt ob vermes. & vmbilicum inunximus oleo cotoneorum, puluere cornu cerui adiuncto, etiam pauca cera immixta: tandem vſa multis conditis, quæ fluxum impedirent & putredini ac calori febrili reſiſterent, ad ſe rediit; & appetitum habuit ad lac acidum cum oriza ſumendum eſſe propoſuimus: quo cùm delectaretur, fluxu illo ſymptomatico interim ceſſante, 21. die à febre liberata eſt, & proba victus ratione vtens viribus reſtauratis, tandem præter multorum opinionem perfectè ſanitati reſtituta eſt.

SCHOLIA.

FLVXVS *ſymptomaticus viros deiicit, raro aliquid boni adfert, & magnam putredinem vermes deiecti vnà cum fluxu indicabant, ſed fluxu ceſſante, vrinam multam ſubſidentiam habentem reddidit, quæ magnam ſalutis ſpem præbuit, talis enim à mentis emotione liberat teſte Hippoc. 6. De morb. vulg. qualis erat Dexippi. 21. in hac puella febris indicata eſt.* Vrina multam ſubſidentiam habens. Dexippus.

OBSERVATIO XIIII. DE FEBRE CONTINVA, BILIOSA, QVÆ à Galeno τριταιοφυὴς dicitur.

ALEXANDER Balbianus Pedemontanus (vulgus lumberdum vocabat) pater illorum quatuor puerorum, qui arſenicum ſeu auripigmentum ſumpſerant, qui à me curati fuere, cuius hiſtoriam ac curationem aliàs dicturi ſumus, cum de venenis ſermo fiet. Hic autẽ Balbianus cùm Antvverpia domum veniſſet menſe Septembri, in febrem

biliosam incidit satis continuam, quæ finitima tertianæ esse videbatur, à Galeno τειταιοφυὴς dicta. Capite supra modum dolebat, in principio vrinam crudam & inconcoctam meiebat, siti premebatur, quamuis non vehementi, bilem in principio accessionis euomuerat, licet febris absque rigore inuaserat. Huic ptisanam pro potu dedimus, & vt hunc syrupum sequentem sæpius sumeret, mandaui. ℞ sy. viol. ℥ j. ß. sy. de limonibus ℥ j. misce. Cùm autem manè illum accederem rursus, vrina magis tincta fuit, febre eundem plus quoque vrgente, ac dolore capitis magis aucto. Quare huic vena secta est, & sanguis ex flexu brachij dextri extractus, & melius habuit: die subsequenti vrinam optimam cum pendente nebula minxit. Sexto die mannate selecto ad ℥ ij. cum sero lactis epoto, multa excreuit. Deinde septimo sanus factus est. quemadmodum etiam pedissequa Dominæ de Orange mense Augusto præcedente, etiam simili febre decumbens, cui die 3. Augusti hunc iulebum propinaui. ℞. sy. de limonibus ℥ j. aquæ cichor. borag. ana ℥ j. ß. misce. altero die cùm & hæc aluum per se deposuisset, vena secta fuit ad vncias quatuor, non plures: quia debilis & biliosa. Quinto deinde die medicamento leuiter purgante in modū boli assumpto, & ita parato. ℞. elect. lenitiui ʒ vij. pulpæ thamarind. ʒ j. fiat bolus. multa excreuit (quia facilis solutionis) & biliosa: ac demum septimo die cùm sudasset, curata fuit. Interim cum eodem tempore euocatus essem ad generosum Comitem Fredericum de Hollach Gheertrudebergæ decumbentem, de quo lib. 1. Scholia Obseruat. 13. mentio habita est, imperaui vt victu adhuc humectante & refrigerante vteretur, nempe hordeato quo prius

prius vsa fuerat. ℞ hordei mundati p.j.amigd. dulc. depilat. ℥j.ß. se. 4. frig. maior. mundat. ana ʒß. fiat hordeatum circiter lib.j. & saccharo rosaceo perlato dulceretur: & quia debilior & valdè macilēta, etiam ius caponis, in quo lactuca tenella incocta erat pauca adiecta agresta, concessimus.

SCHOLIA.

CONTINVA *autem biliosa τεταιοφυὴς dicta, seu tertianæ finitima, est duplex: vna quidem ex natura & mox ab initio talis; altera verò (vt etiam doctè annotauit Iacobus Syluius suo tempore apud Parrhisios professor regius, & amicus noster quondam & familiaris, in suo Commentario de febribus) permutatione ex synocho putri generatur. Cùm enim bilis celerem ex sanguine putrente generationem habeat: fit vt synocho putri succedat mox non melancholica febris sed biliosa: quæ caloris leuitate, & ceteris symptomatis simplicior & mitior & blandior manui medici occurrit: qualis calor à balneo est: tamen is plurimus est: sic & pleuriticis rubrum sputentibus febris tertianæ, circuitionis proportionem, per accessiones seruat: sed simplicior atque clementior, quàm quæ cum sputo flauo statim ab initio biliosa fuit. Id quod frequentissimum est. Sic in phlegmone largior sanguis, quàm parti sit ex vsu; quia nec bifariam difflatur, nec à partis natura vincitur: incalescit, & tandem putrescit: vt in vasis magnis per synochon: & febrem facit biliosam mitiorem tamen, quàm si ab initio phlegmone sit erysipelatodes, vel Erysipelas. Ceterùm curatio huius febris prout accedit ad synochon vel ad magis biliosam, variatur tam in venæ sectione, quàm in alterantibus & refrigerantibus. si magis ad synochon accedant, plus sanguinis in ea detrahendum quàm in biliosa, & in biliosa magis refrigerandum.*

Febris continua tertianæ finitima.

Aph.33.lib.6

dum. At cùm biliosarum continuarum sæuissima sit causos, seu febris ardens, ad hanc nostra nunc conuertatur oratio, postea de illis continuis biliosis, quæ tertio quoque die exacerbantur, ex flaua bile ortæ.

OBSERVATIO XV. DE FEBRE ARDENTE LETHALI.

IODOCVS Rysvvickius, Iuris vtriusque Licentiatus, vir egregiè doctus, annorum triginta, raræ constitutionis, macilentus admodum & biliosus, qui paulò ante Euam Teylingiam iuuenculam, cognatam vxoris meæ in vxorem duxerat. Cumque paulò largius apud amicos in secundis nuptiis tum apud alios vino sese impleuisset, licet etiam aliquot diebus dolore capitis afficeretur, & eum parui faceret, vt neque à vino potenti, neque à Venere abstineret: fuerat autem hic longo tempore viduus à Venere abstinens, verùm coniugio denuò copulatus, ea liberaliore vsus fuit. Hinc à potu vini calidioris & Venere in causon vel febrem ardētem licet in asperrima hyeme anno 1562. videlicet mense Februario incidit. Decumbebat autem in Hagha Comitis in ædibus honestissimæ matronæ Burchiæ Matris Domini præsidis Hollandiæ. Secundo autem die accitus est Hugo Nieuenius medicus Haghanus, & atramento cassiæ præscripto cùm aluum non deponeret, tertio die sanguinem extrahere fecit, mox & iulebos refrigerantes humectantesque præscribit, & alia quæ illi necessaria febri ardenti videbantur. Cumque singulis horis in peius æger vergeret, septimo die ad eum quoque vocatus fui: cruciabatur tunc intolerabili ac ingenti siti, lingua non tantùm arida, sed & nigra erat, os verò supra modum amarum: cùm autem

tem lotium inspexissem quod fortè reseruatum erat ac in atrio positum, album quidem instar aquæ claræ, ac tenue, Domino præsidi Hollandiæ Cornelio Zuzio auunculo vxoris præsenti, qui mihi statum ægritudinis tunc explicabat, antequàm adhuc ægrotum vidissem, medico astante nondum præsente, delirium statim adfuturum prædixi simul ac mortem, ex tali lotio in febri ardente. Vix autem cubiculum ægri ingressus, eodem ferè momento, æger cœpit delirare, quod delirium vsque ad mortem adeo vehemens durauit, vt à fortissimis viris in lecto detineri non potuerit. Postquam autem adhuc diligenter ægrotantem inspexissem, augebāt præsagium meum, toruus aspectus, oculorum inconstantia, frequens motus digitorum, pudendi ostensio & verecundia ablata, vestium & stragulorum plicatio, festucarum collectio & similia. Istis malis signis perseuerantibus etiam mortem nono die exspectādam prædixi, cùm essem in septimo, in quo delirare cœperat, ad vndecimum diem morbum ita acutum non posse extendi, prædixi; & ita euenit, quanquam medico astante nonnihil adhuc sperante, qui iam etiam accesserat. Verùm statim delirio inuadente, ac vrina cruda tenui permanente, cùm aphorismum illum diuini nostri Hippocratis ac senis venerandi 72. lib. 4. in testimonium huius prædictionis adduxissem, ita dicentis, quibus vrinæ albæ & perspicuæ, malæ, præsertim si in delirantibus appareant, facilè medicus in meam sententiam ibat. Vrinæ enim tales (vt Galenus in commento dicebat) extremam cruditatem significant, quare & morbos longos faciunt. Quædam verò ex ipsis, cùm anticipauerint vires dissoluere, sunt perniciosæ, veluti in deliriis. Nullum enim

vidi delirantem, in quo talis vrina apparuisset, saluatum. Apparent autem tales in delirantibus qui exitio proximi sunt. Dedimus tamen operam vt vigili ac deliranti somnum induceremus remediis ad hoc aptis, attamen frustra, delirio non cessante; ac nono vti prædixeramus mortuus est.

SCHOLIA.

Καῦσος Græcè (Latinè combustio seu ardor) nomen homonymum est, non tantùm in toto corpore, verùm etiam in vna eius parte gignitur, vt constat apud Hippoc. & Galenum, in stomacho, pulmone, ieiuno intestino, imò in carne ipsa, vt habetur 4. De vict. rat. morb. acut. Eodem lib. textu & commento 15. hanc febrem ardentem oriri scribunt, non ex bilioso humore tantùm, sed ex pituita salsa, & tertianam quoque esse de genere ardentium febrium. Vide Gal. 2. De diff. feb. cap. 3. & 8. De Hippoc. & Platonis decretis, cap. 6. cùm ait acutissimas & ardentissimas febres oriri a flaua bile, & tertianam ex febrium ardentium numero esse: nam 2. De cris. cap. 6. eandem profert sententiam de tertiana continua cùm & hanc exquisitam ardentem nominet. Interim commento aphoris. 58. & 59. lib. 1. & 4. De morbis vulgar. tertianam sæpissimè ab ardentibus separat. Hinc plurimi hallucinati sunt cùm diuersa de febre ardente scribantur. Sed hic intelligendum, quod causus alius sit propriè dictus: alius verò communiter ita appellatus. Propriè autem dictum, per vehementem totius corporis caliditatem, inextinguibilemque sitim circumscribi, tanquam per propria ac pathognomica signa. Hanc etenim febrem, cùm videlicet vrens caliditas sitisq; incompescibilis hominem torquent, καῦσον (hoc est ardentem) simul cum reliquis medicis simplicem ac exquisitam appellat: idem Gal. citato lib. 4. De rat. vict.

Causus nomen homonymum.

Causos propriè dictus.

vict. Et 3. De morb. vulg. inquit quod non appellabitur ardens febris, nisi adiunctam perpetuò habeat per totum morbum sitim assiduam atque exurentem calorem. Huic causo opponitur is, qui communiter & non ita propriè sic appellatur, vtpote si in vna parte fiat, ob quam non de necessitate sitim pariat, aut etiam in totius corporis carne eum generari cotingat, vt diximus eiusdem Galeni auctoritate, citato lib. 4. De rat. victus, fit autem & hic ex ipsa etiam flaua bile. Rursus causus ardens propriè dictus etiam bifariam distinguitur: Nothus non ex bile sed ex salsa pituita; Exquisitus verò non nisi ex eadem putrescente bile. atque hæc febris ardens exquisita, quam & Galenus acutissimam & ardentissimam nominat, vt liquet 2. De crisibus 3. potest esse continua, vel in omnibus vasis putrescens vnam habens accessionem vsque ad finem, vel plures vt tertio die videatur magis affligere, quamuis non intermittat. & ita apud Galenum potest esse continua & circuitus habens & continens, vt latius patet apud Altimarum De feb. med. par. 2. cap 7. quem poteritis perlegere. At causa febris ardentis exquisitæ, fit à flaua bile pura intra vasa prope cor putrescens, præcipuè in iuuenibus calidi & sicci temperamenti, tempore æstiuo, ob longum iter longamq; sitim, vnde venulæ arefactæ acres calidas fluxiones ad se traxerunt: nam & causæ tertianæ febris intermittentis maximè exquisitæ etiam ardentis febris causæ esse possunt, modò fuerint validiores: & sic causas habere potest procatarcticas res non naturales, quæ siccant & immodicè calefaciunt, vt vehemens ardor solis, liberalior potus vini potentis, longa sitis, alimenta calefacientia, exsiccantia, labor plurimus, Venus inexhausta, vigilia, quibus omnibus venæ exhauriuntur, exsiccantur, & sanguis biliosus efferuescit, & bilis ipsa flaua procreatur, augetur, & subsequitur febris ardens, quam à bile pura vel sanguine plurimum

Text. 13. comment. 3. Text. comment. 34.

Causos nothus.

Causus exquisitus.

Causæ legitimæ febris ardétis.

mum bilioso putrescente in magnis vasis cordi & ventriculo vicinis fieri dicunt. Et licet causos legitimus maximè solet in æstate oboriri, præcipuè verò iuuenibus & biliosis, sicuti contigit quoque iuueni illi de Castello Auite annos circiter triginta nato, natura bilioso, ad vstionem inclinante (vt narrat Amatus) vigente canicula, cum coiuisset cum puella ita laboriosè, vt genitale semen coitus tempore non emiserit: ab hoc igitur contracto labore, & humorum agitatione, ac membrorum lassitudine, in causon febrem siue ardentem lapsus est, quemadmodum & hic noster æger, de quo nunc agimus, licet tempori non conueniebat, cùm in hyeme hic exorta fuerit, attamen habebat maximam proportionem cum eius temperatura nempe valdè biliosa, vtpote Iuueni triginta quoque annorum, constitutionis admodum raræ & macilentæ, ita vt hic causos satis legitimus fuerit, valdè perniciosus, qui iuuenem hunc nono die exstinxerit.

Centur. 3. Curat. 33.

OBSERVATIO XVI. DE FEBRE ARDENTE, SEPTIMO DIE PER fluxum sanguinis narium terminata.

IVVENIS 28. annorum biliosus ad adustionem tendens militiæ deditus, post graues labores & inædias quas perpessus esset, bile coaceruata, tempore æstiuo in febrem ardentem incidit: cui & hæc symptomata ab Hippocrate 4. De vict. rat. morb. acut. descripta subsequebantur lingua aspera, sicca, postea etiam nigra, deiectiones liquidæ & pallidæ, sitis vehementior & vigiliæ ac mentis abalienatio. Ad hunc vocatus nempe secundo die, cùm vires vtcumque constarent, sanguinem ex vena interna brachij dextri detrahere feci, postquàm intellexeram quod sectioni venæ assuetus esset, quam nunc per annum

annum intermiserat. sed circa vncias sex tantùm perfluere permisi, cùm venæ etiam vtcunque tumidæ essent: interim à venæ sectione statim propinaui iulebum quod frigidè ebibebat. ℞ Aquæ end. cich. lactucæ ana ℥ j. sy. nenuph. de acetos. citri ana ℥ ß. misce. retinuit autem per duas horas, postea biliosa euomuit, & ter liquida eo die etiam biliosa excreuit. Sub noctem tamen minus delirabat. quare etiam ad somnum conciliandum dabam hordeatum, cui semẽ papaueris album etiam immistum erat. Pro alteratione & refrigeratione sumebat rob. de ribes, lactucam conditam aqua gelida conspersam, & cerasa acida. & ribes cum vuis suis conditam, qualis & in aula Principis Auraïci ad febres acutas destinata condiebatur. Tertio die cùm per se aluus cita esset & adhuc biliosa deiiceret, hunc syrupum sequentem propinaui, ad bilem reprimẽdam & extinguendam potius, quàm constringendam. ℞ sy. de granatis acidis, de agresta, de acetos. citri ana ℥ j. aquæ acetosæ, lactucæ cichorij ana ℥ ij. misce, fiat syr. pro duobus dosibus. Quarto die etiam hoc conditum præscriptum est. ℞ conser. folior. acetosæ ℥ j. conseruæ flor. nenuph. ℥ ß. conser. flor. ros. ʒ ij. se. portul. lactucæ pul^torum^ ana ℈ j. sy. de ribes ℥ j. misce. Vesperi ad somnum conciliandum sequens sumebat. ℞ sy. pap. ℥ j. sy. nenuphar. ℥ ß. aquæ lactucæ ℥ iij. misce. interim & lacte muliebri puellam lactante tempora fouebantur, & minus tunc mente alienabatur. In quarto quamuis vrina erat rubra licet nondum subsideret, habuit nebulam suspensam. Quinto die cùm calor febrilis nondum mitigaretur, sequẽs epithema vt hepati admoueretur iussi. ℞ aq. solani cichorij end. lactucæ ana quadr. j. specier. triasand. ʒ j. aceti parum

rum misce: deinde quoque hepar inungebatur vnguento rosſ. & pro corde ad maiorem refrigerationem sequens epithema quoque præscriptum est. ℞ Aquæ borag. buglossæ ana ℥ j. aq. rosſ. viol. nenuphææ ana quad. j. trocis. de camphura ℈ j. diamarag. frig. ʒ j. ossis de corde cerui pul. ℈ ß. vini albi exiguum. fiat epithema cum panno rubro scarlato (vt fieri solet) administretur. Calor febrilis aliquo his videbatur mitior; alioqui dedissem illi aquam in qua psilij semen maceratum est, quod in bona quantitate Amatus in Iuuene de Castello ex ardente febre decumbente, de quo scholio præcedente mentio facta est. à cuius potu membra totius corporis refrigerari cœperunt, & ipse paulò melius habebat. At sexto die æger rursus delirauit, & insigni capitis dolore torquebatur: septimo die vrina crassa & iam subsidente, è nare dextra multum sanguinis emanauit, & præter aliorum mentem sanatus est, me tunc bene sperante (cùm astantes illud pro malo omine haberent) iuxta illud scriptum Hippocratis 4. De rat. vict. in morbis acutis. & si è naribus fluxerit sanguis, soluitur ægritudo: atque si sudores superuenerint, iudicatorij legitimi cum vrinis albis crassisque & læuibus subsidentiis. recordatus etiam sum illo tempore illius dicti Hippocrat. 1. De morbis vulg. quod febribus ardentibus hæc accidebant. Quibus ritè & largiter sanguis per nares erupit, ea de caussa maximè seruabatur. nec vllum noui, si rectè ei profluxisset sanguis, in hoc statu quemquam mortuum. Nam Philiscus quidem, Epamenon & Silenus, quibus parum quarto die & quinto naribus stillauit, mortem obierant. Sed de his latius in scholiis suo tempore.

Philiscus. Epamenon. Silenus.

SCHO-

SCHOLIA.

SIGNA *propria ardentis febris eximia & pathognomica sunt, sitis incompescibilis & exurens caliditas, vt liquet 3. De morb. vulg. commento 3. tex. & comment. 34. Sitis quidem vt etiam 4. Collectaneorum apud Auerroëm habetur, modò non accedat tussis parua proueniens ex humiditate dissoluta per fortem caliditatem, quæ veniens ad carnes glandulosas gulæ seu faucium, & ad pulmonem seu eius partes, ipsam remittat, vt habetur aphor. 54. lib. 4. Quibus plurimum siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur. secundò ex respiratione difficili, ob calorem thorax molestè dilatatur & constringitur, flammeis vaporibus (teste Galeno) per expirationem egredientibus. præterea à dolore capitis, vigiliis pertinacibus, atque delirio, ex materia biliosa, calida, sicca, & sæpe adest inquietudo, vt in vno loco permanere non possint, ex motu ventris biliosæ deiectiones plærumq́, estq́, fluxus sanguinis narium familiare quidem indicium, sicuti & delirium quasi peculiare eiusdem existat: facile enim disrumpuntur venæ ex calore, sicut vtres ac dolia ex musto ferueścente. vt liquet 1. De morb. vulg. comment. 2. tex. comment. 63. & 66. ob etiam vapores calidos eleuatos facilè delirant. vrina plærumque tenuis est & rubicunda, incensa, lucens, scintillans, nigrescens quandoque ex forti incendio, sed in causo pestilenti magis liuida, etiam subinde viridis. Sudor in principio febris huius rarò apparet, sed in fine lingua arida, sicca, aspera, nigra, ob immoderatum calorem 4. De rat. vict. cap. 5. & 1. De loc. aff. eiq́, proprium quasi huius febris signum, estq́, aliquando tanti vigoris, vt etiam labia fiant nigra. Hic pulsus sunt vehementissimi, frequentes, veloces atque duri: sed quales sint in lethali postea explicabitur. Hic & alij addunt appetitus deiectionem. plura vide apud Paul.*

Signa febris ardentis.

Ex respiratione, Dolore capitis, vigilia, & delirio.

A fluxu sanguinis narium.

Ab vrinis.

Sudore.

Ex colore linguæ.

Pulsus.

lib. 2. cap. 28. Apud Gal. verò & Hipp. 4. aph. 54. & 53. 6. aph. 26. & 4. De rat. vict. & in comment. 1. in 4. 9. atque 11. & 4. De præsag. 1. & 2. De præsag. ex pulſ. etiam 5. 1. & 4. De diff. pul. cap. 1. & 3. & diff. reſpirat. 11. Tertio epid. ſect. 3. comment. 7. & 34. & 6. epid. ſect. 2. comment. 21. ex iſtis locis omnia ſigna huius febris ſumuntur. Signa autem prognoſtica ex ſequentibus exemplis lucidiora euadent.

OBSERVATIO XVII. DE FEBRE ARDENTI CVM VRINA TENVI, *pauca & nigra mortem inferente.*

NICOLAVS Verdunius, Vir nobilis, Principi Illuſtri Auraïco, ſi quis alius, gratiſſimus, triginta quinque annorum, viduus, etiam Veneri deditus; cùm ſeſe equitando impensè exercitaſſet in autumno, anno 1563. tandem in febrem ardentem incidit. Quidam referebant, prius in ipſo quaſi exanthemata in cute apparuiſſe, quæ cùm parui momenti ea eſſe putaret, æquè ſe exercuit ac aëri ſe expoſuit, ita vt intro repercuſſa eadem rurſus delituerint, ac paulo pòſt febri ardenti corripi cœpit. Cùm hic in Hagha Comitis decumberet, venæ ſectio per Hugonem Nieuenium medicum eius aſtantem adhibita eſt, tum alia remedia conuenientia ab eodem præſcripta ſunt. Poſtea Cornelius Heydius medicus Delphẽſis collega meus & ego ſimul vnà ad ægrum vocati ſumus: quem perpetuò vigilem inuenimus, cui & anxietas quædam ab initio quoq. aderat, ſomnia etiam inſueta terrorem & metum incutientia eundem infeſtabant, lingua arida & ſicca erat, bilioſa ſimul & tenuia deiiciebat, ſpiratio difficilis, decubitus

cubitus admodum grauis & molestus, motus cordis vehementior, pulsus celer satisque debilis, absque subsidentia. Cùm autem delirium adfuturum metueremus, somniferis frigidisque atque alterantibus medicamentis communi consilio vsi sumus. Verùm quarto die sæuissimis symptomatis obortis, cute squalescente vestes conuellere visus est, floccos carpere, & stragula colligere, voce quidem clangosa apparente, mox quoque delirauit. Et aucto deinde delirio, somniferis remediis nullo modo iuuantibus, etiam è lecto exsiliebat, ita vt tandem à quatuor viris potentissimis seu fortissimis in lecto contineri non potuerit, vt in furorem quasi adactus, mente amplius non constiterit. Post quartum diem vrinæ tenues, paucæ, nigræ atque crudæ: manente autem in eo furore omnia ad interitum tendebant, sudore leui in fronte apparente, etiam cum rigore ante signa coctionis. Mortem igitur in septimo vel paulo pòst prædiximus: quibus signis perdurantibus obiit.

SCHOLIA.

ADMODVM *vehemens hoc genus febrium est, ac breui finitur, maximè verò in iuuenibus & post annum trigesimum. Pueris autem rarius apparet & decrepitis, quibus quoque præcipuè lethalis est. si protinus ab initio signa exhibet mala, quarto moriuntur: sin bona, etiam illis soluitur, vix aliquibus post septimum manet. & ideò cùm hic in quarto signa mala augerentur, septimum vix transire potuit. quamuis eodem tempore Iuuenis nobilis Iacobus Heuterus corpore tamen craßiore minusq́; macilento aut biliofo, huius aßiduus comes, sine vxore etiam viuens, cùm similiter equitando se quoque exercuisset, simili febre correptus fuit, quamquam non ita delira-* Signa prognostica.

bat, hic

bat, hic cùm alios medicos non admitteret (licet in eiuſmodi acuto malo ſocium libenter in curatione habuiſſem) niſi me ſolum retinere voluiſſet. At hic Deo *adiuuante per me curatus fuit, cùm etiam extremè laboraret. Ceterùm hæc febris ardens non rarò etiam in pulmonis inflammationem vertitur, vt Iohanni Henrico Bodello Alcmariano euenit. id verò vbi fit in propinquo exitium eſt, quemadmodum & huic Bodello contigit, qui cum delirio in ſeptimo obiit, quem & icteritia ante ſeptimum inuaſerat. Nam hæc ipſa quemadmodum ſi quis inhorreſcit, non ſolùm in ardente, verùm in aliis febribus continuis ante materiæ concoctionem periculoſa ſunt: magiſq́; ſi vis corporis admodum imbecilla eſt, vbi poſt rigorem æger non recaleſcit, vbi continua vigilia, vel ſopor, vel delirium eſt, vbi vox intercipitur, aut aures obſurdeſcunt, aut collum vehementer dolet, præcipuè in his quibus procliuis inſania eſt. Vbi æger quid accepturus manibus tremit, vbi vehemens ſitis, ſimulq́; ingens corporis ſqualor eſt, aut vbi lingua nigricante totoq́; ore præſicco nulla hominem ſitis vrget, ſimul os præter conſuetudinem malè olet, vbi ſingultus incidit, præcipuè poſt citam aluum, aut poſt ſanguinem ſine modo effuſum, vel quibus guttatim è naribus ſtillat. Dictum eſt prius familiariſsimum eis eſſe, qui ſic febricitant, ſanguinis è naribus profluuium, vt liquet citato lib. 1. De morb. vulg. quod etiam in aliis febribus malum eſt ex eodem Gal. 4. De rat. vict. morb. acutorum. Quodq́; non ſolùm ſanguinis è naribus ſtillatio, ſed qualibet exigua excretio, in febribus potiſsimum ardentibus, praua ſit, idem Galenus decretum reliquit 2. porreth. ſuprà text. 67. ſub his verbis. Excerni pauca in ægris vnum quoddam ex ſignis eſt, quæ ex toto prauitatem habent, ſiue ſanguis per nares excernatur, ſiue deorſum per ventrem, ſiue per vomitum tale quippiam, quod ſuperfluum ſit, excernatur. Idem & in ſudoribus*

Quando propinquū exitium eſt.

Sanguis guttatim è naribus ſtillās.

ribus est, & hic quæ per vterum excernuntur. & reddens causam subdit: Nihil etenim eorum quæ decretoria existūt, exiguè excerni conuenit, sed quæ ita vacuantur, omnia duorum alterum subeunt. Nam vel quòd non queant tolerari ob copiam, ab affectis effunduntur partibus, vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit quidem superflua excernere, sed nequit. Si sanguis è naribus fluat, materiam quæ causon facit in venis existere significat, quod si rigor superuenerit extra vasa membris sensibilibus vicinam ostendit. Rarò autem vtrumque simul euenit; quod si vna vice simul contingant, malum signum quidem erit, materiam & intus, & extra per totum occupari. Vrinæ nigræ, tenues, paucæ exitium quoque huic nostro ægro minabantur: nigræ enim ab adusto iam humore proueniebant. paucæ, quia sanguinis humor aquosus ab ardente febre tostus erat, & significabant instrumenta vrinæ iam emortua esse: tenues, quia à natura bilis non euictæ erant. Iam quoque in pueris ardente febre correptis animaduerti lethale esse, si venter nihil redderet & nullus accederet somnus, si & colorem is sæpe mutat, continenterq; plorat; si quidem huic proxima distentio neruorum est. Non solùm in his sed in aliis quoque, vbi cum acuto capitis dolore præcordia reuelluntur, neque tunc sanguis è naribus fertur, aut vbi hunc casum biliosa aluus, aut tormina, itemq; coxarum vel genuum dolor, neque comitantur neque tollunt. Si promptissimum delirium est, vbi viscera grauis dolor fatigat, simulq; neruorum oritur distensio. Vbi simul præcordia dolent, simul somnus profundus tenet, aut vbi ventriculo grauis ardor, aut morsus molestus vtique est, aluus quoque cita biliosa, vel vbi deiectio penitus retinetur, continuo dolore caput exercente. Aliud nunc exemplum febris ardentis lethalis adferamus, vt rectè de iisdem atque similibus prædicere possis.

Vrinæ paucæ nigræ.

OBSERVATIO XVIII. DE FEBRE ARDENTE PARIBVS DIEBVS exacerbationem habente lethali.

CÆMENTARIVS in nosocomio Delphis statim ab initio febre ardente canicula tunc æstuante correptus est, à qua parum rigebat, insomnis erat, grauiter angebatur, sitibundus, fastidiosus, paullulum in fronte & clauiculis sudabat, at nequaquam per totum corpus, multum delirabat, timor & mœstitia huic aderant, extremitates subfrigidæ summi pedis magisque manus, accessiones diebus paribus eundem affligebant, aderant summatim ferè omnia pessima illa signa apud Hippocratem scripta 1. De morb. vulg. qualia suo tempore in febribus ardentibus spectabantur, quæ exitium impendere declarabant: nam plurimi quarto die magis laborabant, sudores diutissimè frigidiores, extremitates non iam ad calorem redibant, sed liuidæ erant & subfrigidæ, nec sitiebant. Ad hæc vrinæ his erant nigræ, tenues, paucæ, & alui erant duræ, nec profluxit è naribus sanguis, ne hic quidem quibus hæc accidunt, sed parum stillarunt, neque recidua vlli horum aduenisse expertum est, ad septimum diem cum sudore exspirabant. Eadem ferè huic cæmentario euenerunt: nam sub febre ardentissima quæ paribus diebus exacerbationem habebat, vltima corporis infirmitas aderat, ita vt certa pernicies iam denuntiabatur, delirio & rigore accedentibus. equidem is qui mentis vsu caret in febre ardente delirans, si taciturnus fiat voce tamen non priuatus (quemadmodum huic ægro contigit) qui cùm in lecto ligaretur ne exsiliret, & taciturnus esset, non diu post & hic sexto die mortuus est.

SCHOLIA.

SI incipiente ardente febre confestim parum rigeant laborantes prauum signum est. Et ideò rectè dicebat Gal. in commento loci citati. Quòd verò statim à primo rigerent, proprium erat prauitatis. Etenim indicare ardentes febres rigor solet, non tamen elucere statim decretoria oportet. Nam auctore Hippocrate *aphor.* 58. *lib.* 4. *febre ardenti laboranti rigore superueniente, solutio fit. bile siquidem, ex qua febris ardens habuerit originem, expurgata. Rigor quoque in causo magis quàm in tertiana continua superuenire solet: quoniam materia subtiliter magis virtutem stimulat. Si tamen rigor initio, guttæ sanguinis è naribus stillantes maximè in secundo die, vel singultus, vel dolor in visceribus euenerunt, non sine timore & periculo talia euenire consueuerunt. Rigor post signa coctionis in causo, bonam prænuntiat crisim, in principio verò ante coctionis signa, malum, imò perniciosum his fuit, cùm pessima symptomata eiusmodi in perniciosis istis febribus contingant, nempe ab initio rigentes statim, vigilantes, fastidiosi, ad hæc in fronte & clauiculis parum sudantes. Nam & vigiliarum & angoris symptoma semper exitiosum est, nedum in principio vt sudare. Iam verò delirare, quod est absurda loqui, id est desipere, læsum significat cerebrum. Timores verò magnopere acris & deustæ flauæ bilis symptomata sunt. cognatæ iam timoribus sunt mœstitiæ. Quod in fronte & clauiculis sudant, prauum est, cùm & sudor non frigidus syncopen minatur: frigidus verò exiens pessimus, qui etiam iam syncopen adesse testatur Gal.* 1. *prog. & propterea rectè dixit* Hippoc. *aphor.* 37. *lib.* 4. *frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori autem longitudinem morbi significant. Sudor frigidus in quarta apparens in febre ardente, mortem in sexta minatur. At partium quoque extremarum*

Prognostica lethalici ex rigore.

Delirare.

Timores.

Mœstitiæ.

Ab extremarũ partium frigore desipere.

frigus perniciosissimum febribus ardentibus symptoma est & signum, quemadmodum etiam desipere, febris æstu caput inflammante. Cùm proprium sit & familiare febribus acutis vri extremis partibus corporis, quæ si quando refrigerentur, regionesq́, ardeant ad viscera continentes, in corporis meditullio coactum sanguinem esse indicio est: extrema autem membra sanguinem desiderare, refrigerari, & semel emori, destituente iam ea natura. Et ita frigiditas cum liuiditate in febre ardente mortem prætendit, quod si etiam tunc rubedo in facie ac oculis adsit cum eloquio valde ponderoso, eodem plerumque die commoritur æger. ita & Hippocr. scriptum reliquit aphor. 44. lib. 4. In febribus non intermittentibus, si partes exteriores sint frigidæ, interiores verò vrantur, & sitim habeant, lethale. & aphor. 1. lib. 7. in morbis acutis frigus partium extremarum, malum. Iam accessiones cùm diebus paribus fiunt à principio statim, interim ad sextum diem pessimum iudicium fore prænuntiant: interim in longum producendum morbum. At siquidem admodum moueantur, quarto die prauam habente accessionem, ad diem sextum de vita decedunt, præsertim verò, cùm dolores, dolorifica omnia symptomata & sudores frigidiores in quarto diutissimè permanebunt. & ideò rectè etiam dixit Hippoc. aphor. 16. lib. 4. quod morbi qui diebus paribus iudicantur, malè iudicantur, ac libenter repetunt. nam & febris nisi diebus imparibus reliquerit, solet recidiuam producere. Quòd verò extremitates liuescerent, neque eis amplius calor rediret, demori eas indicat & est argumentum constans non posse vltra diem sextum vires sustinere, eoq́; magis cum ad signum exitiosum, æstuantes amplius non sitirent. Atqui quando qui antea siti flagrarent, posteà essent à siti liberi, horum duorum fit, necesse est alterutrum, aut morbi solutio, aut virtutis extinctio: ita vt præsentia mala amplius

Ex accessionibus, quæ paribus diebus fiunt.

A liuore extremitatum.

Sitim non sentire quid denotet.

non

non ſentiant. At non contingit à morbo hic vindicari, ſiquidem exitialia erant ſymptomata, vt vrinæ nigræ, tenues, paucæ, & ſtillare nares. de quibus antea dictum eſt.

OBSERVATIO XIX. DE QVODAM, FEBRE ARDENTISSIMA, CORREPTO qui voce clangoſa moriebatur.

BALDVINVS ille ſordidus, mendicus, qui pro ſtulto apud Haghanos habebatur, tandem ob facinora ab Hagha depulſus, nunc Delphis aliquo tempore agens: cumque mulier venefica combureretur, is focum ex carnificis mandato acriter ſtruebat, vt veſtibus maleficæ ſuperficiariis exutis gauderet, hic adeò curſitando, laborando, & ſeſe circa ignem ſtruendo defatigando, concalfactus eſt, vt tandem in febrem ardẽtiſſimam inciderit, cum perpetuò delirio ac magna vociferatione. Huic in noſocomio decumbenti cùm nulla remedia licet apta iuuarent, quæ etiam admittere nolebat, vim febris non ſentiens, mentis errore præpeditus eſt. Hic perpetuò vigil, adhuc laborioſus quaſi in igne ſtruendo videbatur, exclamabat enim delirans, vt faſces apportarentur, focum fumãtem ſufflabat, & videbatur geſtibus ligna apponere, igne nunc quaſi ardente, & flammas à ſe mittente, ridebat, ac alta voce clamabat, ignem iam luculentum eſſe, ita vt laſſus eſſe conſpiceretur eiuſmodi falſa imaginatione & delirio, homine ſubinde inquieto exiſtente & tanquam ex lecto exſiliente, modò ſupinè cubabat, modò genua contrahebat, & deorſum ſubinde ad pedes ſe ipſum deuoluebat, brachia & crura nudabat, diſpergebat, inuerecundus erat, dentibus aliquando ſtridebat, qui & liuidi, nigri ac vehementer aridi erant,

ſomno nullo modo accedente, ſpectaculum certè abhorrendum: nam ita viribus infirmis labra ac ſupercilia & oculi atque nares videbantur aliquando peruerti, quod peſſimum ſignum in febre ardente & acuta Hippocrates pronuntiauit. Æquè enim horrendum eſt, ſi oculi illachrymant, aut vehementer ſubſederint, aut foras prominent, ſi caligant, ſi incerti huc illuc vertuntur, contrà verò immobiles obſtupeſcunt, aut denique diſtorquentur, ſi alba eorum grandeſcunt, nigra minuuntur, aut ſi vbi hæc ſub ſuperna conduntur palpebra, illa rubeſcant atque in iis pallidæ venæ, nigræúe cernuntur, aut ſi quid modo telæ araneorum concretum totis oculis innaſcitur, vel innatat pituita, nouiſſimiſq. angulis inhæreſcit, ſi per ſomnum palpebræ penitus non coëunt, eædemque vehementer pallent, niſi id tamen fuſa aluus fecit, ſi oculorum denique alter minor altero eſt: ſi æger ipſe neque videt neque audit, aut voce amiſſa conniuentibus oculis iacet, neque eo tempore profluit ſanguis è naribus, neque vomitus incidit vnde id mali tollatur. Ceterùm cùm hic æger perpetuò deliraret & vigil permaneret, tandem voce clangoſa ante ſeptimum mortuus eſt.

SCHOLIA.

CELERRIMVS *hic morbus & periculoſiſſimus eſt, vt nunc paulo antè diximus, quare & initio præſagium inſtituẽdum eſt vt calumniam declinemus. nam ſi in his febribus ſicuti & in acutis conuulſiones, & circa viſcera dolores fortes fiunt, malum. mali item ex ſomnis timores & conuulſiones ſeu labores, & ſpiritus offendens, & ſi febrem habenti repentè collum peruertitur, ac vix deuorare poſſit non exiſtente tumore, lethale eſt, & circa ventriculum*

Signa lethalia in febre ardente.

culum fortis æstus, & cordis morsus: lachrymæ si ex oculis cadant, mortem significant, vt 6. De morb. vulg. comment. 1. & 2. & 1. prognost. Si in frigido ambiente vehementer vri hominem contingat, exigua salutis spes, si nec coctionis signa, nec vires validæ, seruari is planè non potest, Galeni auctoritate 11. meth. medendi. hæc quoque in hyeme deterior: pueris autem leuior quàm iuuenibus. decrepitis rarò contingit & his quoque periculosus, cùm febres ardentes vincere non possint. Si acutissimi dolores aures obsederint in iuuene in hac febre, ferè intra septimum diem occidit. Si æger ore hians iacet & assiduè dormiat, aut si subitò strangulari videtur, neque potum deuorare posset, nec suam saliuam nullo substãte in faucibus tubere, lethale. interim notandum num ex consuetudine ore aperto dormiat, tunc minus malum est. Si frigidus efflatur spiritus, vt in praxi sæpe obseruaui, mors proxima est, & peius si collum vertitur & molesta inde sit deglutitio. Anhelitus frigidus, pulsusq́; obscurus, densus & intercisus, vomitus cruentus, varius & fœtens, digiti si floccos in veste legunt vel fimbrias deducunt, vel aliquid in adiuncto pariete carpant, quemadmodum Iacobus Iohannes sartor Alcmarianus, qui in horto sagittariorum febre ardente laborans morte instante acu suere videbatur vestimenta. Pessimum si vngues liuent & extrema liuescunt. perniciosum insuper ventrem in tumorem attolli, magisq́; vbi datum medicamen purgãs fuit, aut hunc ipsum flatibus distentum, hos emittere non posse. Ad hæc per initia febris bilem atram suprà infráue prodire, aluum liquidam simulq́; nigram vel pallidam vel pinguem vel mali odoris esse; hanc ipsam cum subita palpitatione cordis, atque singultu esse compressam. Vrinam intercipi cepisse, aut nigram meij, & crassam & fœtentem, aut antea bona & repentè mala, aut per omne morbi tempus nihil ab vrina dissidere hominum sanorum:

tum etiam ipſam mictione reddi ſanguinem, aut veſicam dolere duramq́; eſſe. Ab initio extrema refrixiſſe, intus incaleſcere, & ſitim habere, pernicioſum, vel ſine cauſa manifeſta calorem febrilem conquieuiſſe, ſub infirmis viribus ſudores obortos, ſimulq́; animam defeciſſe, dolorem, qui inferiora loca tenebat repentè in viſcera tranſlatum. Vlcus antè & in ipſa febre natum, ſiccum & liuidum eſſe. Ita *ſacerdoti* Egmondano, *qui crura vlcerata habebat, quæ in febre exſiccata euaſerant, mortem prædixi, &* Carthuſiano Beeſtio *nomine,* Delphenſi *octuagenario, cùm eidem hoc contigiſſet, mortem præ foribus præſagiebam. puſtulas quoque toto corpore erumpere, modò tamen abſceſſus aliquis purulentus non exoriatur. Quia orto iuxta aurem abſceſſui, nullam accedere maturitatem potuiſſe, aliaq́; peßima ſymptomata, de quibus nunc diximus, ſi adſint, iſtis vel pluribus apparentibus, ægrum moriturum denuntiato: quibus ſi murmuratio in pectore acceſſerit, ſudore frigido exſudante, & extremis membris frigidis permanentibus, mors ilicò exſpectatur. Sed nunc ſatis de ſignis lethalibus, iam verò ea breuiter adiiciamus, quæ ſpem ſalutis præbent.*

Signa quæ ſalutem denuntiant.

Febris non inualeſcens, ſed mitis exiſtens, mens quoque illæſa, appetitus non deiectus, ſomnus quietus, facies non mutata, decubitus in vno loco, virtus conſtãs, ſigna coctionis in quarta vel ſeptima, criſi perfecta ſubſequenti cum ægri alleuiatione ſalutem futuram decernunt. Ergo bonum erit ſignum vbi ægri morbum facilè ferãt, ita vt non admodum æſtuēt, propterea quòd calor non fuerit admodum exurens, neque incompeſcibili ita ſiti detineantur, neque faſtidioſi ſint, neque grauiter premantur: ſimiliter ſi bene ac facilè ſpirent: magnam etenim habet vim in omnibus morbis acutis ſpirandi facilitas, teſte Hippoc. 1. *prognoſt. Si nullum quoque ſentiant dolorem, præſertim internarum partium, ſi eorum corpus æqualiter calidum ſit, ac molle, lingua non admodum*

dum nigra aspera aut sicca. si vrinæ sint bonæ, si statim cocta appareant sedimentum album habentes, lene & æquale per omne tempus dum morbus indicetur: securitatem enim ac morbum fore breuem significabunt, vt liquet 2. prog. tex. & comment. 26. Deiectiones similiter, si concocta appareant, bonæ sunt, ita & sudores boni per diem decretorium euenientes ac ex toto corpore prodeuntes, à quibus à febre vindicentur, aut saltem facilius morbum ferant. Quòd si dormiant atque ex somno iuuentur, salubre quoque erit signum. Similiter si non delirent, aut saltem parum: nam in quouis morbo mente constare & bene se habere ad illa quæ offeruntur, bonum est: contrà verò se habere, malum, vt ait Hippoc. aph. 33. lib. 2. Si etiam non timeant, nec mœsti sint, ac de salute confidant, bonum. Si verò signis concoctionis prius apparentibus cum virium robore, in aliqua die critica largũ fiat sanguinis è naribus profluuium, aut sudor, qualis modo dictus est, absque dubio æger liberabitur. Similiter quoque febris fiet solutio, si rigor superuenerit, modò dicta præcesserint. nam à febre ardente habito rigore superueniente, solutio fit, inquit Hippoc. aph. 58. lib. 4. Vbi verò febre non intermittente, rigor incidat (videlicet non semel) ægro iam debili existente, lethale est, eodem Hippocrate auctore aphor. 46. citati lib. 4. Vt verò summatim dicam, nedum de his febribus, sed de ceteris omnibus, præter ea quæ diximus, calorem videlicet, arteriarum motus, vrinas, excrementa, & corporis habitus, & nonnulla alia quæ inspicienda sunt, vt regiones, anni tempora, constitutiones, ætates corporum, temperaturas, consuetudines, & antecedentes causas: nec non & quæ simul cum morbo inuadunt, & quæ in medio tempore apparent. præ ceteris omnibus quoddam maximum, breue tamen dictu, spectandum erit, si velis rectè prædicere. Est verò hoc, morbi quantitas ac virium, res quæ ad eam ex- Duo ad bene prædicendum necessariò spectanda.

 plican-

plicandam vno indiget verbo, ad vsum verò permagna: neque enim benè prænoscere possumus, nisi horum singulorum magnitudinem diligenter pensitemus: nam vtrum morbus sit exitialis aut non, & quando magis debeat mori, aut sanitati ægrotus restitui, nisi omnino, quæ diximus, diligentiùs animaduerteris, ad duo ea redigens capita, scilicet, ad ipsius morbi magnitudinem, & ægroti vires non poteris verè, prænoscere vt liquet 1. De arte curat. ad Glauc. cap. 8. *Etenim si vires adeò validæ sint, vt possint morbum superare, necesse est vt ægrotus euadat: si verò contra, omnino morietur.* Non *igitur solùm inspicias, qualis sit morbi species, sed eius magnitudinem aduertas, quod quidem non paruam exigit experientiam: namque ex nulla alia re possimus ad exquisitam peruenire notitiam ipsius quantitatis seu magnitudinis, quàm ex crebra exercitatione circa quantitatis coniecturam, vt eodem loco scriptum est, & lib. 2. prog. inquit Gal. supra textum 6. quod summa totius præsagitionis in morituris conualiturisq́; quoties vis ægrotationis cum ægri facultate conferatur.* Si *enim morbus vehementior est, æger omnino morietur: si debilior quàm ægri facultas, haudquaquam morietur, vbi nihil tale comitatur.* Hæc *plusquàm satis de signis prognosticis dicta.*

OBSERVATIO XX. DE IVVENE bilioso febre ardente exquisita laborante.

IVVENIS Delphius raræ constitutionis, valdè biliosus, circiter 28. annorum, qui apud pistores triticum à furfure excolabat (fit enim hoc opificium cum maximo labore) cùm insignis æstus esset Syrio ardente, & impensè hoc opere incaluisset, in ardentem febrem eamque exquisitam incidit; ad quem curandum, ea præsertim mihi proposui, quæ ab insignibus

ſignibus auctoribus referuntur, quod curatio eius valdè ſit ſimilis tertianæ puræ & continuæ, quamuis in ea differunt cum hæc ipſa ſit vehementior & magis intenſa, ideò frigidiora multò in cauſo ſeu febre ardente exquiſita conueniunt, cumque hæc etiam ab initio vſque in finem ſit periculoſa, ideò ipſa in principio minimè eſt negligenda, & ob periculum quod ex ea imminet (quemadmodum præcedentibus obſeruationibus oſtendimus) cum maxima diligentia hæc ipſa eſt curanda. ideo vt victus tum aliæ omnes res non naturales ad humidum & frigidum inclinarent, mandauimus, vtque loco frigido decumberet. Aëtius lib. 5. cap. 77. ex curatione Philumeni ſuadet, vt idem locus ad ſuauem auram ſit expoſitus, à qua purus diffletur aër, culcitra quoque vt eſſet mollis, quæque frequenter ſternenda eſt; ſtragula vt tenuiſſima eſſent, minimè ſordida, quæ aſſiduè mutentur, imperaui: vtque lectus haberet inſignem latitudinem, vt ad diuerſas ſubinde partes membra calefacta traduci commodè queant, vtq. aër ignauior flabello excitaretur, iuſſi; etiam vt foliis viridibus vitis per cubile ſparſis, & aqua frigida frequenter irroratis aër frigidior induceretur, curaui. & vt ſomnum quæreret inquietiori & tepidiore diei hora, & nocte potiſſimum. Somnus enim hic quoad fieri potuit conciliandus erat: nam vigiliæ valdè nocent. Motum quoque inhibui, & vt fugeret ſtrepitus hominum, laborem, fortes frictiones, tum alia, vitaretque animi immoderatos affectus, iram ſcilicet triſtitiam & timorem. Nihil hic præſtantius lætitia & bonam ſpem de ſalute concipere. pro victu cremore ptiſanæ dilutiore, pane eloto, iure pulli tandem cum lactuca agreſta, ſucco granatorum alterato, vel ſucco

citri citrangulorum aut limonis inſperſo: in fine quia bilioſus non potens ſuſtinere inædiam, etiam pullis paruis elixatis cum lactuca oxalide, portulaca & ſimilibus, mali punici aut citrei ſucco iniecto, vtebamur: alioqui à vino, carnibus & ouis planè abſtinebamus, niſi in fine morbi poſt ſeptimum, febre iam curata, ad pullos paruos elixatos (vt dictum eſt) deuenimus. Potus erat aqua hordei. Primo autem die cùm acceſſiſſem, atque aluum per ſe non deponeret, ſequens leniens medicamentum præſcripſi. ℞ diaprunis ſimplicis ℥ j. decoct. prunor. ſebeſt. thamarind. ℥ iiij. miſce, fiat potio. decoctio ita paretur. ℞ prunor. damaſ. numero IX. ſebeſten numero vij. thamarind. ℥ ß. ſe. quatuor frig. maior. ana ʒ ß. flor. nenupharis viol. borag. ana p. j. fiat decoct. in aqua viol. bis vel ter. ex eo aluum depoſuit. altero die ſequenti cùm lotium ruberet, quamuis omnino non ſubſideret, licet paulo craſſius eſſet; ex vena communi ſanguinem ad vncias quatuor detrahere iuſſi: ſed quia in ſyncopen ferè incidiſſet, niſi vlteriorem detractionem inhibuiſſem, vena occluſa fuit, cùm bilis valdè ſincera eſſet. At de venæ ſectione latiùs in ſcholio ſubſequente. Deinde pro alteratione dabam iuleb. ſubſequentem (quia imbecilliori ſtomacho erat, ita vt aquam puram dare non audebam, quæ non datur ante coctionem, ſed inſtante morbi vigore, vt apud Aëtium liquet loco citato. Antiqui ad alterationem vtebantur frigida aqua, nos nunc iulebis commodè vtimur) ℞ oxizach. ſimplicis ſy. viol. nenupharis ana ℥ j. aquæ lactucæ end. acetoſæ ana ℥ iij. fiat iuleb. pro tribus doſibus. Quinto die ita eum purgaui. ℞ caſſiæ recens tractæ ʒ vj. elect. de ſucco roſ. ʒ j. ß. diſſolue cum ℥ iij. ß. aquæ end. ſy. ex multi-

plici

plici infuſ. roſ. ℥ j. ſy. viol. ℥ ß. miſce: quo multa liquida & bilioſa excreuit. Poſtea & membra roborauimus, in quibus erat minera materiæ: hîc autem erat circa pulmonem, quia ſpiratio difficilis, ideò pectus inunximus cum oleo violaceo, & dedimus diatragacanthum frig. conſeruam violaceam & nenupharis. & cum leuis eſſet tuſſicula, iuleb. ſequens exhibuimus. ℞ ſy. viol. ℥ j. aquæ viol. vngulæ caball. ana ℥ j. ß. miſce. præterea quia ſtomachus ardore æſtuabat, ceratũ roſaceum admouimus. Alexander Trallianus vtitur aqua frigida cum roſaceo ſubacta, cerato roſaceo cui admixtus ſit portulacæ & vuæ acerbæ ſuccus pari portione. Aëtius pectus & ſtomachum fouet palmulis tritis cum vino & roſaceo aut oleo cithoniorum, quibus ſubinde & refrigerantia addit, ſicuti ſunt palmites triti, ſeris, polygonum, plantago, ramenta cucurbitæ, lactuca, rumex acidus, mica panis præmadefacta, aut polenta. licet melius ſit eodem auctore ſudariolum tenue complicatum, oleoque & aqua calentibus madefactum ſtomacho & pectori applicetur, id enim febrium ardorem mirum in modum ſedat, lana quoque quantum manu capitur aqua & oleo roſaceo calefactis imbibita è ſublimi in pectus expreſſa feruoris vehemẽtiam facilè obtundit: hæc autem calida eſſe oportet iuxta eundem: nam tepida membrorum vigorem exſoluunt. At nos potius eorum quoque loco adhibemus epithemata cordi & hepati, etiam pectori vt poſtea in ſcholio latius dicemus. Sed hæc iuxta eundem Aëtium, tum reliqua refrigerantia in vigore exacerbationis apponũtur. Nam in earum principiis & incrementis ambigente adhuc corporis affectu, & calore viſcera obſidente, talia applicata ſenſum diffun-

 dendo,

dendo, & in profundum repellendo calorem, maioris nocumenti occaſionem præſtant. igneus enim calor interius repreſſus, vehementiori rurſus ardore excitatur. At in exacerbationum vigore, explicato iam per vniuerſum corpus calore, reſiduum circa viſcera derelictum haud ægrè extinguitur. Nō abs re igitur, vbi hæc ſuo tempore adhibentur, ægri melius ſpirare incipiunt, & leniori ſiti infeſtantur: quidam etiam rorido efflante vapore, deliniti ſomnum capeſcunt. Licet balneum hic quandoque conueniat, tum aquæ potus, de quibus in ſcholio latius; hîc refrigerantibus, & alterantibus contenti fuimus, interim in declinatione (quo tempore quibuſdam balneum conuenit) pro vrinæ prouocatione, vt materia bilioſa ad renes deduceretur, & vt ſudor aliquo modo prouocaretur, exhibuimus aquæ decoct. hordei in qua radix cichorij & dentis leonis & ſemina quatuor frig. maior. incocta erant adiecto ſyrupo acetoſo ſimplici. præterea accidentibus ſuccurrebamus, nempe aſperitati linguæ cum puppulis in ſe continentibus ſe. cithon. adiecto exiguo zach. candi, aqua hordei immerſis, quibus lingua ſępius madefiat. vtebatur etiam prunis ſiccis madefactis in aqua, os ſæpe aqua hordei frigida lauabat & colluebat, ſubinde loco ſe. citho. in ore tenebat muccaginem pſilij etiam in ſacculis paruis lineis vel puppis concinnatam, in aqua hordei madefactis. & pro ſiti capiebat ſuccum granatorum etiam arantiorum. & bibebat aquam hordei ad libitum, dabatur etiam confectio ribes illius quæ creſcit apud nos in Veenlandia, valdè refrigerat, & ſitim tollit. Vigilia tollebatur vng. populeo & oleo mandragoræ tempora inungendo, & intra nares oleum violaceum & nenupharinum & lactucæ per-

cæ perungendo, quæ etiam ad dolorem capitis faciebant, vti & lotiones brachiorum & crurium ex decocto maluæ, lactucæ, viol. vitium, salicum, iniectis capitibus papaueris & anethi summitate. Pro anhelitus difficultate, præter ea quibus superius vtebatur, præscriptum est decoctum hordei liquir. qui exhibebatur cum sy. viol. sumebat quoque saccharum viol. Quibus remediis hic Iuuenis septimo curatus fuit.

SCHOLIA.

Bilis hic maximè repurganda & extinguenda est. At primùm animaduertendum vtro remedio potius vtendum sit, venæ sectione an catarctico. Quidam hæc vtraque suspecta habent, etiam omnimodam inediam in ea quæ omnino exquisita est, & quæ proximè ad ideam accedit. Alij verò hæc distinguunt, si febris sequatur inflammationem partis internæ, si plethora adsit, & cetera consentiant, procul dubio, inquiunt, secandam esse venam, sed hodie minus ad animi deliquium, vt in synochis, de qua satis libro præcedente dictum est. At vbi sanguis abundat in hac febre ceteris consentientibus, copiosam etiam venæ sectionem in ardente febre aliquando iubent. vt Amatus in iuuene in quo lotium crassum & rubrum spectabat in febre ardente, ex dextra vena iecoraria sanguinem ad vncias octo extrahere fecit, & die sequenti ex basilica sinistra etiam octo vncias. Sed fortè illa minus fuit legitima: alioqui non temerè secanda vena, ne separato sanguine bilis efferuescat. Qui Auicennam sequuntur, nisi vrina fuerit rubra & crassa in hac ardente ex pura bile, nullam sectionem admittunt. Verùm vix ita pura est quin semper aliquid sanguinis commisceatur. vide de his Donatum ab Altomari, qui auctoritate Alexandri Trall. cap. 2. & 3. lib. 12. & Gal. lib. 1. cap. 13. sanguinem in febribus continuis ob

De venæ sectione.

Centur. 3. curat. 33.

De medend. feb. par. 3. cap. 2.

nuis ob

nuis ob magnitudinem morbi ceteris consentientibus mittit, interim tamen non ita copiosè facienda ad animi deliquium, sed potius moderata, ita vt repetitio fiat, cùm illos iuniores medicos deceperit, qui putabant in hoc Gal. fautorem habere comment. aphor. 23. lib. 1. sed fefellit nonnullos hæc auctoritas, cùm non de his febribus ardentibus sed de continentibus & synochis dixerit. Verùm non tantùm in his ardentibus sed aliis continuis, quas putrescens humor concitat, venæ sectio optimum remedium est, modò omnia consentiant ex Galeni vniuersalissimo decreto 11. meth. med. cap. 15. Cùm inquit, Saluberrimum autem, vt prædiximus est, in febribus venam incidere, non continuis modò, verùm etiam aliis omnibus, quas putrescens humor concitat, vbi præsertim nec ætas nec vires prohibent. leuata namque qua corpus nostrum regit natura, exoneratoq; eo quo veluti sarcina premitur, haud ægrè quod reliquum est vincet. ideo & Donatus reprehendit Arabes tamquam hæmaphobos, qui non audent in febribus ardentibus sanguinem demittere. Interim tamen erit moderanda, nam vbi purior bilis adsit, indicatio potius oritur bilem purgandi. ita in nostro ægroto parum sanguinis detraximus, cùm ad animi deliquium videbatur inclinare.

Medicamétorum ratio.

Quod ad catharctica & purgationes attinet, Veteres etiam purgationibus vtebantur, alij quidem fortioribus, alij leuioribus. præferendæ verò sunt leuiores. Hippocrates asinino lacte cocto, Galenus etiam sero vtebatur. præ omnibus vti licet mollibus clysteribus, ex iis quæ feruorem febris extinguunt. Vt paratis è sero lactis, decocto viol. maluæ: saccharum potius quàm mel in his dissoluendum: oleum violatum potius quàm commune. Conueniunt & clysteres ante venæ sectionem & post. quidam ne cassiam ante venæ sectionem dare audent, sed potius clysteribus vtuntur: sit autem emolliens & infrigidans, quale hoc est.

Clysteres emollientes.

℞ viol.

℞. *viol. maluæ solatri hordei mundati ana m.j. flor. nenuphar. folior. lactucæ, cucurbitæ ana m.ß. prunor. damasc. numero xiij. bulliant in s.q. aquæ ad consumptionem tertiæ partis pro lib.j. vel lib.j.ß. cassiæ recenter tractæ* ℥ *j. zach. rub.* ℥ *ß. ol. viol.* ℥ *iij. misce, fiat clyster. si sal adijciatur, sit in exigua quantitate.* Ex *medicamentis eligi debent cholagoga mitiora, & quæ bilis acrimoniam obtundant, vt cassia in sero lactis dissoluta, vel cum decoct. seminis berberis, vel mixta cum decocto thamarind. & vt facilior fiat purgatio clyster prius emolliens & infrigidans supponatur. Sed & infusum rhab. commendatur, quamuis ego aliquando expertus sum quod in quibusdam febre ardente vel continua laborantibus calorem inferebat, maximè valdè biliosis, aliis minimè. Sic in matrona de Alcmade in Hagha Comitis calorem inducebat. Hæc potio vtilis censetur.* ℞ *prunor. sebesten ana numero x. thamarind.* ℥ *j. quatuor sem. frig. maior. ana* ʒ *j. flor. cord. p. j. fiat decoctio in aqua viol. vel enduiæ. & in* ℥ *iiij. colaturæ dissol. syr. rosf. laxatiui* ℥ *ij. fiat potio. addatur interdum* ℥ *ß. sy. viol. potest etiam exhiberi bolis ex catholico vel diaprun. simpl. Si imbecilliora hæc, & aluus adstricta sit, vel æger medicamentis leuioribus non facilè moueatur, adijci potest* ʒ *j. diaprun. solutiui vel de succo rosf. Nisi enim medicamento aluus soluatur, plus nocet quàm prosit. poterimus etiam hic statim eiusmodi leuioribus medicamentis purgare, nec dierum spectandus est numerus (teste Altimaro) vt quidam Neopolitani medici falsò opinati sunt, perpetuò quartum exspectantes diem. At quoniam si perfectè ardens febris solui debeat, horum alterum fieri necessarium est, aut biliosos excerni humores, aut eosdem extingui, Paulo auctore cap. 29. lib. 2. ob id à venæ sectione per sudores, imum ventrem, aut vomitiones, eadem bilis excerni tentanda est, atque etiam extingui, aut frigidæ potu aut reliquis infrigidantibus* Purgatio humoris & refrigeratio.

dantibus & humectantibus. At nos in purgationibus per imum ventrem audaciores hic esse possumus, quàm veteres: cùm nunc leuissima medicamenta nobis adsint, vt thamarind. cassia fistularis, mel aëreum seu manna, sacch. viol. sy. ros. solut. violaceus, & ros. succus. De aquæ potu dictum est lib. præcedente cùm de feb. synochis continentibus ageremus, quæ exhibetur instãte totius morbi vigore, signis coctionis apparentibus, si æger, inquit Alexander Trallianus *lib.* 12. *cap.* 2. *aquam bibere consueuerit. ad hæc si nec inflammatio, aut scirrhosus tumor, aut laxus quod œdema dicitur, particulam quandam possideat. si enim ex his aliquod apparuerit, aquæ potio vitanda est, potissimum in inflammatione erysipelacea, quamuis idem fatetur, se in erysipelate atque continua & ardente febre aptè dedisse. ab aliis hæc obseruantur, vt materia febris sit digesta, quod non sit causos nothus, sed legitimus, quod nulla sit opilatio in toto, nec inflammatio in membris principalibus, nec æger decrepitus aut virtus debilis. Ad alterationem antiqui aqua frigida vtebantur, sed non ante vigorem. Aetius permittit si quintam partem aquæ temperatæ ad aquam frigidam adiicias. At alij potius vtuntur aqua cocta & modico zach. violaceo condita, vt sit octupla aqua, sub octuplum saccharum. Vel præstantissimi medici hoc tempore, cùm habeant aquam gelidam suspectam ob incognitam adhibendi occasionem, potius syrupis alterantibus & infrigidantibus vtuntur, cum aquis frigidis stillaticiis: cuiusmodi sunt sy. de nymphea viol. de acetos. citri, de limonibus, de end. de granatis, de agresta, de acetosa, de ribes, de berberis, acetosus simplex oxizach. Sed horum delectus habendus vt in delirio conuenit sy. de nymphea, de pap. In inspirationis difficultate, violaceus. in fluxu, de agresta. Vbi nullum symptoma vrget, sine distinctione supradictis vtemur. Idem censendum de aquis, quibus syrupi*

Aqua gelida.

Sy. alterantes, infrigidantes, humectãtes, & aquæ stillaticiæ.

rupi diluuntur, vti aqua end. cichor. acetos. è cucurbita, melone, cucumere, portulaca, è rosis, viol. nymphea, solano, borag. & similibus. Sed oportet vel quarta, vel sexta parte condiri Zach. si simplicibus aquis pro iulebo vti velimus. Hæc sunt repetenda donec materia concocta sit. Quo ad medicamēta externa refrigerantia, veteres etiam feruida, & perardenti febre laborantes lauabant, in domo potissimum, vbi solium habebatur tepente aqua plenum (teste Alexand. Trall. lib. 12. *cap.* 3. *De causo) vt totum ægri corpus vndequaque ab aqua operiatur, vt Romanis vsui erat: sed imbecillis admodum viribus ita in solio lauari non conuenit. Galenus licet Iuuenes robustissimos carnosos febre ardente correptos in frigidam immergebat, hoc auxilium periculosum est, cùm pori facilè obturantur. At de partibus balnei, & qua vti debeamus prius dictum est lib.* 1. *harum Obser. Balneum, inquit Aëtius loco citato, in ardente febre eis tantùm congruit, qui absque tumore aliquo ad inflammationis erysipelatisue naturam tendente febriunt, in vrinisq́; apparuerint coctionis signa, sitq́; patiens adolescens, carnosus, æstatis tempore, constitutione calida & sicca, in febris vigore, qui se in frigidum lauacrum coniiciat innatetq́;, ita enim fortè sudorem excitabit: quod si frigidæ lotioni assueuerit, remedio maximè fidat: nam venter in biliosa excrementa facilè erumpet. Moderatiori verò existente febri robustaq́; virtute simul cum coctionis indiciis, conferunt dulcis temperataq́; aquæ balnea, & ex vnctionibus chamæmelinum oleum, præsertim vbi continens aër frigidus sit. sed si euenerit, vt frigido existente aëre ardens febris vehementius incendatur, perexiguam inde spem salutis concipies: & si in tali constitutione ne signa quidem coctionis appareant, virtusq́; sit imbecilla, fieri omnino nequit vt æger euadat. Neque igitur lauandum, neque vngendum, neque medicinis rarefacientibus*

De balneo.

Lib. 5. cap. 77. De curatione febris ardentis ex Philumeno.

tibus procedendum, neque vinum, neque frigida exhibenda. Vbi enim desperatur salus, iniquum est præsidia plurimis conferentia imperitorum calumniæ frustra obiicere. equidem quosdam (inquiens Philumenus apud Aëtium) inertes medicos noui, imitantes quidem quæ à nobis rectè tractantur, sed his qui omnino morituri sunt stultè adhibendo, & vanam absumpserint operam, & rerum vsum frugi alioqui & opportunũ, suspectum horrendumq́ reddidere. At nos & occasiones & remedia docemus ad hos qui saluari queunt, desperati verò nihil prorsus hac arte indigent. De his vide Gal. lib.11.meth. cap.9.

OBSERVATIO XXI. DE CAVSO EXQVISITO PER FLVXVM sanguinis narium desinente.

IOHANNES Iacobus Leoninus (vtrum à leone vel familia sic dictus ignoro) rusticus alioqui ditissimus, qui in Schaga villa tribus miliaribus ab vrbe Alcmaria commorabatur, tempore verno anno 1550. cùm adhuc Alcmariæ agerem & ibi praxim exercerem, febre satis ardente correptus est: erat vir procerus, admodum robustus, annorum triginta, vtcumque biliosus, licet magna ex parte sanguineus. Ad hunc vocatus fui secundo die eius morbi. cùm autem hic siti intensissima cruciaretur, & os amarum esset, lingua valdè sicca, aspera & aliquantulum subnigra & capitis dolor intensus adesset ac vigil permaneret. lotium quod tunc reseruatum erat, valdè tinctum erat, sed crudum. Cùm aluus illi non responderet, ac clysterem admittere nollet, medicamentum leniens ac minorans propinaui in hunc modum. ℞ Diaprunis lenitiui seu simplicis ℥ j. diaca-

diacatholici ʒ ij. aquæ lactucæ viol. borag. ana ℥ j. ſy. viol. ex multiplici infuſ. roſ. ana ℥ ß. miſce, fiat hauſtus. Quo probè aluus ſoluta eſt, prius fecibus duris mox etiam bilioſis excrementis depoſitis. Die autem ſequenti, cùm venas amplas haberet, ac conſuetus eſſet ſanguinem mittere quotannis in Vere, & nunc in Vere eſſemus, interna brachij dextri vena pertuſa ſanguinem ad vncias octo fluere fecimus, & bene ferebat, qui etiam vtcumq. bilioſus erat. quare & hunc ſyrupum ſtatim à venæ ſectione ebibit. ℞ aquæ hordei ℥ iiij. ſy. acetoſ. citri viol. ana ℥ ß. miſce. Deinde vt poſt meridiem ac ſub noctem cùm valdè æſtuaret, & adhuc vigil permaneret, vt ex hoc ſequenti iulebo ſubinde ſumeret mandaui. ℞ ſy. viol. de end. acetoſi ſimplicis ana ℥ j. ſy. pap. ℥ ß. aquar. viol. lactucæ acetoſæ end. ana quad. j. aromatiſecus cum ℈ ij. ß. ſpecier. trionſand. & fiat iuleb. cum albo oui clarificatum. interim ex aqua hordei bibebat quantum volebat. Cibus illi erat hordeatum dilutum. Quarto die multa bilioſa & liquida deiiciebat, & cùm vrina iam craſſior facta eſſet, & coctionis ſigna apparebant, licet ingens calor circa hypochondrium dextrum hepatis caliditatem arguens, ad refrenandam caliditatem hoc epithemate vſi ſumus. ℞ aquar. end. cichorij acetoſæ ana ℥ iiij. aquæ roſ. ℥ ij. acet. ℥ j. flor. roſ. rub. exſicc. ſantal. rub. ana ʒ j. trionſand. ʒ ß. ramentorum eboris ℈ j. fiat epithema. quo cùm vſus eſſet, videbatur melius habere. Poſt meridiem hora quarta pomeridiana, & quando libebat, ex hoc iulebo ſumebat ad maiorem refrigerationem. ℞ aquæ lactucæ borag. ana lib. ß. oxizach. ſimplicis ſy. de limonibus ana ℥ j. ß. miſce. ad refrigerationem & putredinem febris, egregiè faciebat.

Quinto die calor febrilis nondum ſedabatur, imò ſubinde delirabat, & vigil permanebat: ideò cùm præcipua pars curationis conſiſtat in ſomniferis & in extinguenda bile; hunc ſyr. vt ebiberet iuſſi. ℞ ſyr. pap. ℥ j. ß. aquæ lactucæ ℥ iiij. miſce. capiebat ſub noctem. Etiam tēpora hoc linimento inunximus. ℞ vnguenti popul. ℥ ß. ol. mandragoræ pap. ana ʒ ij. opij gr. ij. miſce, fiat linimentum. & incepit melius dormire. Die ſexto ad alterationem & roborationem, vt ex hac mixtura vteretur mandaui. ℞ conſer. florum nymphea rob. de ribes rob. ceraſorum conſeruæ viol. bugloſſ. ana ℥ ß. ſpecies trionſand. ʒ ß. cum ſy. de ſucco acetoſæ de ſucco bugloſſæ ana ℥ ß. fiat mixtura. Sed oborta tuſſicula etiam hoc eclegma præſcriptum eſt. ℞ ſy. viol. ℥ ij. diadrag. frig. in tab. ℥ j. vniantur ſimul & cum baculo liquiritiæ ſumat ad libitum. Sub noctem multò vehementior calor febrilis eum affligere cœpit, dolor capitis auctus eſt, & rurſus delirium adfuit, vigil permanſit, & totam noctem, quæ ſeptimum diem præcedebat, ægrè tulit, vrina tamen ſubſidente, & hypoſthaſim bonam habente, vnde criſim laudabilem in ſeptima futuram ſperaui, quare & cibum ante hoc tempus minuebam, tandem præcordium dextrum ſine dolore intendebatur, ſpiritusque difficilis erat, caput pulſabat atque affectum diſtendebatur, & dolore exardeſcebat, faciesque tota, oculi præcipuè tum nares ac malæ plus æquo rubebant, viſus quoque hebes factus eſt, vt obiectis ſplendoribus quaſi eluderetur, collumque dolere æger affirmabat, aureſque tinnientes obſurdeſcere cœperunt, vt me ratiocinantem paulo ſonora voce vix intelligeret: oculi quoque illachrymare repentè viſi ſunt & rubeſcere, venas quoque in tempo-

temporibus agitatas pulsare percepimus, nares veluti prurientes scalpebat, & dolor totam faciem occupabat atque tempora. Cùm autem hæc diligenter animaduertissem, pulsumq. altum & vehementem & vndosum perciperem, cùm astantes timerent, sanguinis profluuium è naribus prædixi, atq. eo ægrum deo adiuuante conualiturum. Coniecturam meam iuuabant anni tempus vernum, febris ardens, sed in homine rustico, forti, crassiore, licet bilioso, interim & sanguineo, cùm & bili portio sanguinis calidi admixta esset. quæ euacuatio ardentibus febribus maximè vtilis, vt superius ex Hippocrate ostensum est: & frequens esse solet his, qui sub præcordiis febres calidas & acutas inflammationesque maximè iecinoris & lienis experiuntur. Ita septimo die decretorio coctionis signis in vrina præcedentibus, satis copiosè è naribus sanguis fluxit, astantibus, cùm nostram audissent prædictionem, valdè admirantibus; & ita à febre liberatus est, ac nocte subsequenti optimè dormiuit, & maximam alleuiationem sensit. Tunc victum liberaliorem prius cōcessi, nempe panatam cereuisiariam. Antea in quarto etiam prunatum poma cocta admiseram. Verùm cùm adhuc parum tussiret, etiam pro calore, qui adhuc ex causo relicto vires deiecerat, vt ex his tabulis sumeret imperaui. ℞ specier. trionsand. ℈ ij. specier. diat. frig. ℈ j.ß. dissol. in aqua furfuræ adiecto zach. albiss. q. s. fiat confectio in tabul. secundum artem. quibus & hic linctus addebatur. ℞ sy. viol. pap. ana ℥ j.ß. gummi tragacach. albiss. macerati in aqua furfure vel vngulæ caballinæ ℈ ij. ß. misce pro eclegmate. Pectus hoc vnguento inungebat. ℞ ol. viol. ℥ j. vng. pectoral. nostræ descript. ol. amigd. dulc. ana ʒ ij. misce.

 Cùm

Cùm minus adhuc dormiret ob tussim, tempora inungebat sub noctem oleo viol. nimpheæ simul mixtis. & vtebatur sub noctem hordeato adiectis aliquot amigd. dul. se.4. frig. maior. mundat. & semine pap. licet autem postea nono die bene se haberet, cùm lotium adhuc parum tinctum esset, & ipse calidiusculus, vt hac decoct. sequenti vteretur iussi. ℞ viol. cum floribus (nam tempus vernum erat) fumariæ viridis bellidis minoris ana m.j. flor. borag. bugloss. nenuphar. ana p.j. santali rub. ℥ j. se.4. frig. maior. & minor. ana ℥ j.ß. coquantur in aquæ lactucæ viol. end. ana q.s. pro lib. 1. colaturæ, adde sy. viol. de end. pap. ana ℥ j. misce. capiebat bis in die, & calor febrilis qui erat adhuc relictus omnino extinctus est. Pro ventriculo roborando & ad appetitum incitandum capiebat cochlear vnum sy. cithon. & de limonibus. & nono die perfectè sanus factus est.

SCHOLIA.

Cautio habenda in refrigerantibus & humectātibus.

REFRIGERANTIA tam intus quàm extra his conueniunt, quorum tamen cautio adhibenda est, ne iis vtamur ante signa coctionis. ego loco aquæ gelidæ, qua veteres vtebantur, ex pane prius eloto abiectaq; priore aqua, aquam conficiebam, eamq; frequenter frigidissimam propinaui, idq; liberius in vigore & declinatione accessionis. aliqui etiam exterius cerato Galeni, hypochondria & thoracem inungunt, ex vna parte ceræ quatuor partibus rosacei simul liquatis, vase duplici comparatis & vbi refrixerit, in aquam frigidissimam demergũt, ac subigunt succo lactucæ vel semperuiui vel aliorum refrigerantium & humectantium. Si in thorace sit calor, loco rosacei violaceum sumatur, & aqua viol. lauentur in hypochondriis ex rosaceo & aqua rosacea. fiunt quoque cataplasmata ex farina

rina hordeacea subacta succo lactucæ, cucurbitæ, cucumeris poligoni, plantaginis, capreolorum vitis & similium, foliæ lactucæ, ramenta cucurbitæ, cucumeris manibus contrectata plantis pedum admoueantur. Veteres vt dictum est thoraci & pectori hydraleo calente linteolum madefactum applicabant, alioqui lanam quãtum manu capitur in aqua & olei rosacei vel violacei calefactis madefiant: exprimantur è sublimi in pectus, modicum quoque salis & aceti quidam adiungebant, & sic sudorem excitabant. At nunc ad epithemata confugimus vti & olim, quorum vsus erat in vigore accessionis, vt dictum est. Quæ verò thoraci admouentur, quando in eo caloris acrimonia & siccitas est corrigenda, fiunt ex decocto hordei vel 4. se. frigid. in aqua viol. vel bugloss. addita tertia parte ol. viol. vel amigd. dul. quæ & hecticis, vt suo loco dicturi sumus, conueniunt; exempla verò antea quæ hepati & cordi prosunt, Obser. XVI. præcedente dicta sunt. Condita verò quæ refrigerant & humectant, horum etiam delectus habendus, quæ intro exhibentur. sic cordi conueniunt conserua rosa. viol. nimpheæ bugloss. acetos. quibus pul. adiici possunt diamar. frig. & de gemmis diarod. abb. trions. diacameron confectio alchermes & in magnis profluuiis aqua ros. acetos. & corall. conser. ros. Si delirium, conser. nimpheæ, aqua eiusdem & lactucæ. Si vigiliæ se. pap. capita pap. se. lactucæ. Si calor, semen citri: & ita de aliis.

OBSERVATIO XXII. DE FEBRE SATIS ARDENTE, SEPTIMO die cum sudore soluta.

MVLIER biliosa, circiter annos quadraginta nata, tempore Autumni in febrem satis ardentem incidit. Hæc inquieta erat, vix aliquando sese in lecto continere poterat, bilem subinde euome-

bat puram, modò viridem, sitiebat, lingua aspera erat & valdè sicca, aluus citatior, siticulosa, & dolore capitis admodum vehementi afficiebatur. Cùm autem venæ satis apparerent, in brachio dextro vena interna secta fuit, & sanguis biliosus ad vncias ferè quinque effluxit, & videbatur aliquo modo melius habere. Statim à sanguinis detractione hunc syrupum ebibit. ℞ sy. de agresta de granatis viol. ana ℥ ß. aquæ lactucæ nympheæ end. ana ℥ j. misce. Cumque aluus satis obediens esset, solliciti fuimus, vt sitim extingueremus. lactucarum tenella germina condita & aqua gelida aspersa deuorabat: supra linguam continebat folia portulacæ, aut acetosæ, & hunc potum pro siti bibebat. ℞ aquæ cichorij end. viol. acetosæ vini granatorum ana ℥ ij. misce. modò aquam hordei cui sy. de limonibus vel de acetos. citri immixtus erat. Quinto die cùm aluus non satis flueret, ita eam purgauimus. ℞ cassiæ recenter tractæ ʒ vj. pulpæ thamarind. extractæ cum aqua viol. ʒ ij. sy. rosf. solutiui ℥ ij. aq. endiuiæ ℥ iiij. misce, fiat haustus. in aurora detur & desuper per horam dormiat: quo optimè egessit, & febris aliquo modo remissa fuit. vesperi verò febris vnà cum capitis dolore increbuit, ideò oxyrhodinum sequens parare iussi. ℞ aquar. rosf. ℥ iij. aquæ nenupharis ℥ j. ß. aceti rosf. ℥ j. ol. rosf. ompharini ℥ ij. misce, & panno lineo in eo intincto sincipiti temporibusque applicetur, sæpiusque innouetur, ne caliditate acquisita magis noceat quàm iuuet. eo autem dolor nonnihil mitigabatur. Die sexto sub noctem delirauit, & totam noctem malè tulit. Septimo verò die manè subinde delirium reuertebatur, & aluus tunc nonnihil suppressa fuit, simul & vrina, quæ antea quarto die cócocta spectabatur,

batur, partes quoque corporis calidiores nunc erant, & rigor occupauit, qui proprius ferè ardoribus esse solet, cùm imminet crisis, quam & ipse exspectabam per sudorem. nam pulsus vndosus & præmollis, qui tunc quoque aderat, sudorem pronuntiabant, cùm & vapor calidus toto corpore dispergebatur, humida anni constitutione etiam existente. Talia enim sudorem prænuntiant: & ita ægra hæc septimo die decretorio, signis concoctionis in vrina præcedentibus, in copiosissimum sudorem incidit: à quo etiam febris penitus extirpata fuit, ac ipsa sanitati restituta.

SCHOLIA.

CRISIS *in hac febre ardente (vt exemplis prius ostensum est) verna constitutione, aut calida, temperatis corporibus, & biliosis iis, qui nondum triginta annos superant, magis accidit per fluxum sanguinis narium: atque is quidem salutaris est, si die decretorio, quod & in reliquis excretionibus criticis commune est, fiat, signis co-ctionis præcedentibus, si è directo fluit, & non stillat. Stillare enim pessimum, præsertim quarto die. Aliæ excretiones maximè fiunt post annum trigesimum, siue per sudorem siue per vomitum. At sudoris propria signa iam obseruatione præcedente diximus, & antea quoque quæ sanguinem fluxurum prænuntiant. Fiunt autem crises sensibiles per excretionem septem modis. per fluxum sanguinis narium, per sudorem, per vomitum, cuius hæc signa sunt, horror inferiorum partium, frigus, pulsus durus, & inæqualis, mordax capitis dolor, tenebræ obiectæ oculis, ventriculi dolor, inconstantia labri inferioris, tenuis sputatio per alui fluxum. Hic pulsus occultatur, paruusq; fit, intestina murmurant, aut mordicationem sentiunt: iam fluxum ventris futurum prænuntiabis: quibus si tormina circa ventrem &*

Sensibilis excretio fe- ptem modis fit.

Vomitum præsagiētia.

Alui fluxum indicantia.

vmbilicum fuerint, & bombi ventosi vltrò erumpāt, significatio euidentior erit; & si nulla signa propria præcedentium excretionum adfuerint. Fit etiam menstruorum eruptio salutaris lumbis prægrauatis, tensis & dolentibus. Si etiam dolor & ardor circa sumen ventris ac pectinem, & lumbos ventremq; inferiorem adfuerit & vrina nigra cum hypostasi nigra spectetur, mensium profluuium exspectato, multoq; certius si tempus instet. Per hæmorrhoides, quæ si fluere consueuerunt, pruritusq; ani, tum tumorum ac venarum ani inflatio adfuerint, harum quoque eruptionem exspectare poteris. Deinde per vrinam huius autem profluuium aduentare colligemus, si reliquarum excretionum indicia abfuerint, si aluus suppressa est, nec multò antea copiosam vrinam reddere cœpit æger. De signis fluxionis sanguinis per nares & sudoris antea dicta sunt. Diligenter genus excretionis notandum, & qua fieri via debeat, ne quid à nobis tentetur, vnde naturæ impetus impediri possit, cui potius suppetias ferre æquum est, si fortè præter imbecillitatē tardiùs moueatur, vt si fiat per vomitum, adiuuabimus leui vomitorio dando sy. acetosi simplicis ℥ j. aquæ hordei ℥ quatuor. Si per sudorem vel per vrinam, cum ℥ iiij. aquæ hordeaceæ euulf. se. 4. frig. maior ℥ j. zach. ʒ iij. misce. & ita de aliis. quod non solùm de ardente febri, verùm etiam de quacumque biliosa & continua intelligendum est.

Menstruorum fluxum præcedētia.

Quæ hæmorrhoides fluētes præcedant.

OBSERVATIO XXIII. DE CAVSO NON EXQVISITO.

MILES ille Gallus, qui mense Februario anno 1573. apud cereuisiarium, cui pro ædibus campana insigne erat, ardente febre non exquisita correptus, minus vrebatur: cui & sitis aderat non tamen ita vehemens vt in legitimo causo. Hic enim

cùm

cùm in Zelandia per totam hyemem perpeſſus eſſet multos labores, in hanc febrem inciderat, ad quem prius circa 14. diem accitus fui. debilis hic erat, multa liquida, bilioſa, ſimul & pituitoſa, muccoſa, poſteà & glutinoſa excernebat, lingua arida & ſubnigriuſcula erat. Cumque vires iam planè labefactæ eſſent, ſanguinem demittere non auſus fui. atque eodem die quo ad eum ingreſſus eram, bis iam aluum depoſuerat. præſcribo igitur alterantia quæ & putredinem compeſcerent. oxizach. ſimplicem ſyrupum de acetoſitate citr. ſyr. viol. Et quia non dormiebat, dabam emulſorium ex hordeato cum ſe. pap. & tempora inungebam oleo. nympheæ & pap. adiecto exiguo vnguento populeo. Cùm etiam in pectore nonnihil doleret, hunc ſyrupum ſequentem propinaui. ℞ ſyrupi capill. ven. (ſi leuem tuſſim non habuiſſet oximel accepiſſem) ſyr. pap. (eò quòd non dormiebat) ana ℥ ß. aquar. vngulæ caballinæ ſcabioſæ borag. ana ℥ j. miſce. Verùm cùm aſtantes me inſcio vinum rubrum propinaſſent, & in cibo pultem cum vino & ouis dediſſent, peſſimè deinde habuit, lingua nigra atque aduſta euaſit, vigil factus eſt & delirabat. Poſtea tamen incidit in copioſum ſudorem, ac præter mentem omnium 17. die à febre liberatus eſt.

SCHOLIA.

CAVSVS *ſpurius, fit quidem ex flaua bile, vt antea dictum eſt, ſed non ita ſincera, imò cum aliqua portione pituitæ admixta, ſubinde etiam à pituita ſalſa, & hæc febris ardens notha ſub finem Autumni vel hyemis frequentiùs accidit, præſertim poſt multos & graues labores, poſt multas inedias, medicamenta calida & ſicca, ac alimenta, aliaſq; denique cauſas, quæ humores etiam* Cauſus ſpurius.

frigidos accendere possunt. Propterea non solùm hic miles, sed infiniti cum eo, qui in Zelandia per autumnum & hyemem perpeßi essent multos labores & inadiam, in eiusmodi febres inciderunt, & plurimi ad sepulchrum demißi sunt: quemadmodum etiam Hispanis militibus euenit, vt ab aliis accepimus, in obsidione Harlemensi, *qui populatim etiam apud nos hac febre extincti sunt, atq. plures adhuc morituros existimo, vbi aër calidior euaserit, ex hyeme horrida perpessa, resolutis tandem corporibus: vti contingere solet pomis congelatis, vbi enim cessauerit gelu, tunc prius corrumpuntur. Ceterùm causus illegitimus dicitur, eò quòd non ex bile sincera fiat, vel quod legitima symptomata non ita adsunt. adfert quidem sitim, sed non ita vehementem, & licet lingua appareat sicca & aspera, & sentiat etiam aliquando salsedinem, si humor salsuginosus sit, etiam excrementa magis sunt corrupta & minus aliquando biliosa: magna tamen corporis adest perturbatio, capitisq; grauitas & dolor (quæ omnia in hoc milite erant) conuulsio, vt in aliis vidimus, à quibus & mors vrinæ crassæ & turbulentæ. at sicut causus legitimus rarò per abscessum soluitur, ita nothus interdum parotidibus & frequentius abscessu terminatur, infra quidem si sub diaphragmate materia contineatur: supra verò, si supra diaphragma constiterit. Causos verò hic ex bile salsa, deterior quàm ex bile pura, non quidem ratione accidentium, sed quia diuturnior & difficilioris curæ euadat: natura enim simul difficilem, sæuum & longum morbum non sustinet, cùm prius deficiat. Ardentes igitur febres periculosißimæ sunt in aëre frigido, vt Gal. affirmauit* 11. *method.cap.*9. *Quomodo ex causo commilitones, vt refert* Iohannes Langius *sub* Duce Friderico Comite Palatino *(in cuius castris ipse merebat) contra Mahometicæ factionis imperatorem in bellum profecto in exercitu Romani Imperij infiniti*

Causus illegitimus cur ita dictus.

Prognostica.

mortui sint, habetur prima epistolarum miscellanea, epistola quarta, in qua chirurgorum in curatione temeritas notatur, cùm linguam videant nigram, quam & hodie inepti die bruyn appellant, illam curare satagunt, causa & substantia morbi neglecta, ita dum hæc ipsa in castris febris ardens sæuiat, etiam nunc plures apud nos quoque chirurgorum imperitia interempti sunt, quàm hostis gladio. Qui cùm caussam morbi & necis in fusco linguæ colore subsistere arbitrantur; fœda excogitant remedia, quibus linguam expoliant. Hic expresso de cancris succo, os patientis colluit: alter dissoluto equorum stercore, illius colatura linguam ægroti eluit. Taceo quod nefas esse ducunt, alio quàm fusci aut rubei coloris panno, aut alio quàm prunorum fusci coloris ligno, linguam abstergere: ac si specialis in coloris similitudine subsisteret sympathia. O stulti! quando accidens, neglecta illius & morbi caussa, curare satagitis: vmbram quoque corporis creta dealbare frustra laborabitis, & Æthiopem lotione album reddere. Hæc illorum temeritas sanè eos prodit ignorare, quis sit in complicatis affectibus, quos Græci διαθέσεις appellant, curationis methodus, & indicationum ordo & scopus: quorum primus à causa affectuum & morbi sumitur interna, quæ sui ablationem per contrarium indicat. Constat autē morbum esse suorum symptomatum caussam: lingua exsiccatur & nigrescit ex febre ardenti, nisi prius hanc causam extinxeris, nempe ablata febre, linguam à nigredine nunquam vindicaueris: qua non solùm in causone, sed in quouis interno epatis erysipelate & inflammatione inficitur. Alter verò curationis scopus, eius sine quo non habet: sic nisi prius ablato phlegmone, vulneri inflammato frustra medeberis. Tertius verò curationis ordinum scopus vrgentium & accelerantium curamq; ad se attrahentium affectuum rationem habet: sic syncopis & lipothumia primas cu-

Der onzgelerten feltscherer byzeyne.

Primus curationis causonis scopus.

Alter generalis curationis scopus.

Tertius scopus.

mas cu-

mas curationis partes ſibi deſpondent. Atqui cùm lingua in cenſu, naturalium vitæ membrorum non ſit eius diſcolratio, nec cauſa eius ſine quo non, vel vrgentis, rationem habere poteſt. Ideò cauſa caloris febrilis primò auferenda. Rectam methodum huius præter Arabes medicos Hippocrates lib. 3. epid. & 4. De ratione victus in morbis acutis explicat. Gal. in methodo, & eius ſimia Paulus Ægineta.

OBSERVATIO XXIIII. DE FEBRE continua tertiana biliosa, in iuuene bilioſo.

IVVENIS bilioſus & admodum aduſtus, natus annos viginti ſex, in principio æſtatis, Iunio menſe, in febrem continuam eamque bilioſam incidit. Delphis hic decumbebat grauiter quidem, & tertio quoque die febre magis affligente. Erat autem hæc febris tertiana continua. Huic autem caput grauiſſimè dolebat, oris ingẽtem amarorem ſentiebat, lumborum dolorem vehementem ex nimio calore patiebatur. Cùm autem ſecundo die ad hunc accitus eſſem, ſtatim in aurora hoc pharmacum minorans dedi. ℞ electuarij lenitiui ℥ j. ſyrupi roſ. ſolutiui ℥ j. ß. aq. endiuiæ ℥ iij. ß. fiat potus. quem ieiuno ſtomacho bibebat, quo poſtquàm multa egeſſit, ita quoque multa bilioſa, citrina & vitellos ouorum referentia per interualla euomuit. altero verò die, qui erat tertius dies ab initio morbi, cùm bilis tertio quoque die magis affligeret, dolor capitis tum febris ipſa vehementiora erant. quarto omnia remiſſiora, quamuis febris non intermitteretur. qua de re cùm melius illo die æger ſe haberet, & vrina cum craſſitudine rubricaret, pulſuſque magnus eſſet: excedebat autem longitudine & altitudine, profunditate, qua de re ex ieco-

iecoraria vena sanguinis vncias ferè sex duabus in peluiculis fluere iussi, ex quibus sanguis primus corruptione affectus erat, secundus verò absque vlla aquositate serosa, rubicabat: vnde eodem die melius se habere dixit, febrisque minus intensa fuit, præsertim post venæ sectionem sudore superueniente. Interim hunc syrupum dedimus. ℞ syrupi de ribes ℥ j. aquæ endiuiæ acetosæ ana ℥ ij. misce. lumbi autem qui dolebant vnguento rosaceo inungebantur, & accidentia supradicta cœperunt mitescere, & calor febrilis tandem minuebatur, ita vt hic septimo die perfectè curatus fuerit. cibus huic erat panatella cum agresta. venit tunc mihi in mentem similis ferè historiæ Amati centur. 5. curat. 26. De febre biliosa continua; in sacerdote cui pharmacum minorans etiam ante venæ sectionem præbuit, quod magis etiam hic profuit quàm si vena prius secta fuisset.

SCHOLIA.

FEBRIS *tertiana continua proportionata à medicis dicta, quantum ad eiusdem essentiam & curationem siue sit exquisita siue notha, eodem ferè modo fit, cognoscitur & curatur, vt tertiana intermittens. Ceterùm quamquam intermittentes febres eas appellamus ex Galeno, quæcumque ad sensibilem infebricitationem seu (rectius dicam) ad febris vacuitatem perueniant, Græci ἀπυρέξιαν dicunt, vt lib. 2. De differ. feb. liquet cap. 2. Continuas verò, quæ ad iam dictam infebricitationem, seu febris vacuitatem antequam ex toto soluatur, non desinunt; quamuis declinatio aliqua sensibilis appareat, quemadmodum ab eodem Galeno 2. De crisibus scriptum est cap. 6. cui sententiæ subscribit Paulus cap. 26. lib. 2. Intermittentes fiunt ab humore extra vasa. continua ab humor. intra vasa conclusæ.*

Febris tertiana continua proportionata.

Intermittentes febres quæ.

Continuæ

Causæ.

clusæ. At nunc loquimur de continuis proportionatis (non conclusis continuis) quæ plures habent accessiones, quæ ad infebricitationem non perueniunt. quoniam qui earum causa est humor, non expurgatur, vt liquet lib. 2. De cris. Præterea cùm humores sibi inuicem adhæreant, ac continui sint, suoq; contactu vicinos ad putredinem trahant, quando in venis continentur, priusquàm desinat vna accessio, alteram incipere necesse est. In intermittentibus verò cùm humor vehementer moueatur, disseminetur q; per singulas corporis partes, suo delationis impetu, per vomitum, vrinas ac sudores sæpe expurgatur, interim verò insensibiliter in vaporem portio quædam digeritur, aut si crassus fuerit humor, per alui quoque deiectionem expurgatur, quamuis & tenuis etiam quandoque, & propterea sensibilem intermissionem habent, & priusquàm accessio superuenerit, altera præcedens intermittit. Neque enim adeò adhærentes ac continui extra vasa humores sunt, quemadmodum si in eisdem continerētur. Cùm itaque continuæ febres proportionatæ (de quibus nunc deinceps agemus) fiant vel ex bile, vt tertiana continua, vel ex pituita vt quotidiana continua, vel ex melancholia vt quartana continua. At nunc loquemur prius de tertiana continua. Hæc autem fit ex cholera seu bile putrefacta, in venis remotis à corde, & propter hoc à causo differt: nam in ardente febre vt dictum est, in venis admodum propinquis cordi putrescit bilis: vnde etiam symptomata tertianæ continuæ debiliora sunt symptomatibus causonis: intensiora tamen & maligniora quàm in tertiana intermittente. fit etiam aliquando à bile mista pituitæ, aut melancholiæ: sed tunc minus exquisita est. Et ita patet differentia inter causon & tertianam continuam: quia causos fit ob visceris alicuius inflammationem, licet etiam fit citra inflammationem ex bile in venis prope cor putrefacta. Et si causos fit nothus, fit quidem ex pituita

Continuæ cur in infebricitationem non desinant.

Intermittentes cur desinant in infebricitationem.

Causæ tertianæ continuæ.

Differentia inter causon & tertianam continuam.

pituita salsa, sed prope cor in venis quoque putrefacta. In continua verò tertiana siue bilis, siue pituita salsa in venis putrescat id quidem dissitis à corde. Iam quoque accidentia causi fortiora, minusq; tertio die ægri exacerbantur, & potius æqualiter vri videntur. In tertiana continua motus tertio quoque die excandescit & manifestior fit remissio, & exacerbatur motus, nullo frigore aut rigore prehendens, nulloq; sudore insequente mitescens. Non tamen negamus quod aliquando incipiant cum leui quodam rigore, maximè si exquisitæ fuerint; aliquando etiam cum leui horrore, vbi nothæ fuerint, vt Caput de Vacco Medicus insignis dicebat, (dum Auicennam de febribus legeret, vt ex Adriano Teylingio Medico eius discipulo Cognato nostro accepimus) materia ipsa propulsa de venis magnis ad paruas seu remotas, sed hoc non est tertio quoque die: verùm aliquando primà vice, idq; rarius: & tunc etiam leuissimus est horror aut rigor. Nam si rigor posteà appareat, & febris tertiana continua non deficiat neque mutetur in tertianam intermittentem, ægro iam existente debili, tunc lethale erit, nisi subsequatur crisis præcedentibus signis coctionis. Nam nos sæpissimè vidimus tertianas continuas sine paruo rigore incepisse. Si verò incipiant, vt doctissimus ille medicus dicebat, idem rigor erit exiguus nec effatu dignus, multoq; maior esse solet in febre intermittente. Præterea continua tertiana differt à synocho putrida, quæ fit à sanguine, & continuò augetur & diminuitur, aut in eodem statu manet, vt dictum est prius. Hæc autem tertio quoque insequitur motum bilis. Iuniores autem hac febre biliosa magis afficiuntur, bilis enim multa colligitur in his, & qui tenui victu, aut inedia vtuntur, fitq; in æstate & in constitutionibus calidis & siccis, quandoque in otiosa vita, sed curis plena, tunc cacochymia biliosa dicitur. Breuiter easdem causas habet, quas causos, sed minus vehementio-

Differentia inter febrem synochon putridam & tertianam continuam.

mentiores: vel easdem, quas febris tertiana intermittens, sed fortiores. Signa itaque quæ tertianam continuam consequuntur, sunt media inter causi signa & tertianæ intermittentis. Vel hæc ipsa habet eadem accidentia, quæ tertiana pura intermittens, verùm magis intensiora: vel mitiora quàm causos legitimus habeat. Signa igitur quæ ab exeuntibus sumuntur, vt est vrina, hæc ipsa est subtilis, intensæ rubedinis, vel subrubea, aut rubea, substantiæ tenuioris, egestiones quoque citrinæ biliosæ, neque in ea apparet sudor, nisi in die critico. A substantialiter inhærentibus, vt caliditas acuta mordaxq́. A qualitate mutata, vt facies citrina, oculi subrubicundi, lingua aspera ad nigredinem vel flauedinem tendens. Ab actione læsa, vt sitis intensa, quandoque etiam adsunt deliria, adest sæpissime dolor capitis continuus, vigiliarum instantia, aliaq́ vehementiora quæ in intermittentibus fieri assolent. At hæc clariora apparebunt exemplis sequentibus.

Signa demonstratiua tertianæ continuæ.

OBSERVATIO XXV. DE TERTIANA CONTINVA MALIGNA INTRA octo dies ægrum interficiente.

NICOLAVS Guilhelmus, vir consularis Delphius, annorum quinquaginta, alioqui robustus ac boni habitus, sanguineus & parum pituitosus; cùm hic per totam æstatem quotidie rus adiret ad mansionem quandam, quam non procul ab vrbe haberet, in qua apud agricolas suos plus æquo agriculturæ intentus, qui etiam impensè fructibus horariis delectabatur, ac quotidie iis vtens, domum reuersus continua tertiana, eaque vehementiore circa decimum diem Septembris anno 1583. correptus est, atque statim materia adhuc existente cruda, pur-

gationem vehementiorem suomet consilio, nempe electuarium de succo rof. paulò ampliore dosi, imprudenter tamen accepit, quo licet quinquies aluum deposuerit, febrem tamen per se satis malignam auxit. Altero die verò chirurgo ad se accito, qui etiam vlcus annuum quod in crure habebat curabat, eodem tempore sanguinem sibi ex brachio satis copiosè detrahere iubet, & simul eodem die rursus purgationem eandem sumpsit, qua & aluus plusquàm satis soluta fuit. Verùm febris per se maligna, ita demum increbuit deiectis viribus, cùm tanta siti ac capitis dolore vehementiore, vt subindè in delirium inciderit. Ad hunc tunc prius vocatus fui, quæ transacta cùm mihi narrabantur, pessimè ægrum egisse admonui, atque in omnium medicorum illustrium regulas peccasse narrabam, quod materia existente cruda statim medicamentum electiuè purgans accepisset, mox & die sequenti sibi sanguinem detrahere iussisse: verùm etiam eodem die medicamentum purgatorium sumpsisse, naturæ ob hoc vim quoque intulisse, cùm venæ sectio materiam ab interioribus ad exteriora trahat, purgatio verò è contrà ab exterioribus ad interiora deducat, præter id quod vires plurimùm fuerint deiectæ, & febris supra modum aucta. Vrina quam tunc emittebat cruda, alba, tenuis & clara existebat, atque ita permansit vsque in mortis horam, procul dubio in febre continua eaque acuta & maligna mortem præsagiens, de qua latius in scholio dicturi sumus. Erat autem valdè inquietus, & adeò sitibundus vt sine ratione cereuisiam cōtinuò ingurgitaret, calore circa præcordia intus permanente, ita vt sæpius cogeretur eandem euomere. Quare ad sitim exstinguendam

cùm sub noctem accitus essem, & pro putredine febrili arcendam iuleb. sequens præscripsi, simul ad medicamenti maligni abstersionem. ℞ decoctionis hordei communis in aqua pura decocti ℥ vj. syr. de limonibus ℥ ij. misce, fiat iuleb. pro duabus dosibus. Interim frontem & tempora ob insignem capitis dolorem sopiendum, & somnum inducendum oleo nenupharino & vnguento populeo ac rosaceo simul mixtis, vt inungeret mandaui. Pro siti quoque sumebat cerasa amarella condita, & lactucam conditam aqua frigida aspersam. At tertia quaque nocte cùm peius semper haberet, & sitis eum magis affligeret mane sequentem hunc syrupum quoque propinaui. ℞ decoctionis hordei mundati ℥ iij. syr. de limonibus oxizach. simplicis, sy. ex infus. ros. ana ℥ ß. misce, fiat syrupus. Ceterùm quinto die ab initio morbi cùm tertius esset dies, quòd aluum non deposuisset à purgatorio medicaméto ab ipsomet assumpto, quod licet egregiè purgauerat, nunc tamen aluus subsistebat: cùm debilis esset, mannatis selectissimi ℥ j. ß. in ℥ iij. aqua cichorij soluti dedimus. verùm euomuit. Et nocte subsequente adeò erat inquietus, vt decies sexies è lecto se mouerit, ac nescio quot congios cereuisiæ præter rationem ingurgitauerit. quem cùm obiurgassem, quod in lecto sese non contineret, atque tantum cereuisiæ potum inhibuissem, eundem admonui vt nostris præceptis auscultaret, alioqui ei euenturum, quod nobili cuidam, quem istis diebus Gorcomij curabam, contigit. Narrabam autem duos ibidem ægros me tractasse, nobilem quendam Cliuensem ex familia Quadiorum, & œconomum Comitis illustris de Hollach (cuius iussu eò quoque vocatus fueram) simili febre laborantes.

Nobilis

Nobilis, qui noſtris monitis ſeſe continere in lecto non vellet, inquietus, febre increſcente, mortem cum vita mutauit. At œconomus noſtris præceptis obediens, breui conualuit. Quamobrem niſi ſe quietum teneret, idem illi euenturum prædixi. interim tantum cereuiſiæ potum inhibui, atque vt eius loco iuleb ſequens ſumeret, imperaui. ℞ aquæ hordei mundati puræ lib. j. ſy. acetoſi ſimplicis ℥ iij. ſyr. de limonibus ℥ j. miſce. eo cùm vſus eſſet videbatur inclinari ad ſudorem, & paulò melius habere. Verùm febre ſub noctem ingraueſcente, rurſus ex lecto ſæpius ſurgebat, pedes hinc inde iactabat, denudabat, tegumenta non ferens, atq; ad cereuiſiam licet tenuem denuò ingurgitandam conuerſus, peſſimè deinde habuit, ac ſubinde delirare cœpit. glandem iniicere iubeo ſatis acutam, at aluum non reddidit. Cumque octauo die ab initio morbi omnia peiora inuenirem, quo die etiam manè vuas crudas deuoraſſet, me inſcio, febris valdè aucta eſt, vrina alba, cruda permanente. Cùm verò clyſterem humectantem, refrigerantem, alterantem, lenientemque in officina parari iuſſeram, verùm ad ægrum mox reuerſus cùm eum animaduertiſſem tendere ad mortem, clyſterem iniicere nolui, nam eodem die nempe decimo ſeptimo Septembris, membris externis refrigeratis, voce deſtituta, ſub noctem circa ſeptimam horam obiit.

SCHOLIA.

VTRVM *hic ſua incuria vel potius malignitate febris ſit mortuus, aliquis dubitare poſſet? Auaritia tamen minimè factum eſt, quod in principio me non vocauerit, cùm aliàs hominem, ſi quem alium, gratiſſimum ac liberaliſſimum expertus fuerim. Erat autem vir probus, ac*

honestus meiq; amantissimus, vt eius mortem nimis intempestiuam deplorem, cùm & is acris defensor contra æmulos meos exstiterit. Duo interim signa lethalia hic spectabantur: imprimis vrina clara, tenuis, cruda, permanens vsque ad mortem, delirio accedente. Galenus (vti prius diximus Obser. x v. *huius libri) neminem delirantem talem vrinam habentem vidit seruatum, neque ego in febre acuta aliquem vidi sanatum, quanquam hic aliâs (quod semel tantum spectaui, interim quod quadraginta annis nunc praxim exercuerim) pleuritide & febre continua laborans, per totum decursum morbi habens talem vrinam, euasit, à me laude diuina tunc curatus. at nunc eandem vrinam semper reddens, exstinctus est. Aliud signum lethale in eo erat vlcus annuū quod in crure habebat siccum & liuidum, sic dicente* Hippocrate 1. *lib. prædic. cap.* 8. *prædic.* 25. *Vlcus siue antea exstiterit, siue existat in morbo considerandum est. Si enim moriturus æger est, ante mortem aut liuidum & siccum, aut pallidum & siccum erit. Verùm medici iuniores hic diligenter animaduertant quòd signa prognostica in hac febre tertiana continua eadem ferè sint, quæ de febribus acutis & causo dicta sunt. Nam hæc ipsa vt plurimum si exquisita sit, septimo ad mortem vel salutem tendit, si in quarta signa indigestionis vel coctionis appareant: si retardentur* 14. *diem vix hæ febres transeunt, vel in ipso terminantur, qui terminus acutorum communis est. Omnis autem tertiana continua ob materiam furiosam & morbi velocitatem suspecta est (quemadmodum hæc fuit) cùm virtutem maximè deiiciat. Crisis itaque in hac, vt in synocho non superat diem* 14. *Et quoniam bilis diebus imparibus mouetur, diebus imparibus si crisis fiat, aut per alui deiectionem, aut vrinas, aut sudorem, bonum: si paribus, malum.* Fluxus *sanguinis narium copiosus, vel vomitus biliosus, aut sudor,*

Vrina alba, tenuis, clara in delirantibus in febribus continuis acutis vel ardentibus lethalis.

Signa prognostica tertianæ continuæ.

calidus vniuersalis totius corporis, aut fluxus ventris cholericus, si superuenerint statim à principio tertianæ continuæ, vel in aliqua die critica, quam præcessit iudicatiua, post signa digestionis perfecta, cum virtutis robore, & infirmi alleuiatione, salubre: contrarium, lethale. Si remedia quaque die exhibita contulerint & accidentia fuerint remissa, salubre: contrarium, mortale. Lingua in hac febre cum multa asperitate nigra existens, febrem deteriorem notat: sin alba, leuiorem: si citrina, medium inter vtrunque obtinet. Si conuulsio vel oris tortura superueniat, vel oculorum contorsio, lethale plerunque cùm spasmus ex inanitione fiat. Vrina in principio rubea vel citrina, subitò alba euadens phrenitidem perniciosam præsagit: ita alba & tenuis, extremam perniciem, vt in hoc nostro ægro. Si æger quoque ab initio malè imaginetur, ac peruersè ratiocinetur, capitisq; dolore vehementiore afficiatur, bile ad cerebrum rapta, phrenitidem futuram denunciat, nisi ilicò repercutientibus circa cerebrum impediatur. Extrema si frigida, pectus venterq; incaluerint (vel vt alij ferunt) induruerint, lethale: hæc enim magnam inflammationem notant, præcipuè si interiora vri videantur. Icteritia ante septimum plerumque hic lethalis, septimo 9.11.14. salubris. Stupor, alienatio, asthma, inquietudo iacendi ante coctionis signa, mortale: crisim enim symptomaticam & malignam notant. omne signum criticum veniens ante signa coctionis, malum semper, aut saltem timorem incutiens. Curatur autem vt intermittens, hinc aliqui vt Auitenna, curationem continuæ aut omiserunt, aut pauca de ea scripserunt. iisdem enim auxiliis cedit, & differentia tantum est secundum maius & minus, & curatur eadem ratione qua ardens, hoc dempto, quod in tertiana continua minus frigidis vtamur, quàm in ardente. Et sic generatim mittitur in hac sanguis, sed parcior, alteratur etiam

Curatio tertianæ continuæ.

corpus & symptomatis occurritur. Vel est similis curationi intermittentis, quemadmodum Auicenna testatur principio quarti tract. 2. cap. 40. iis exceptis, quod plus infrigidemus, & plus digeramus, & magis solliciti simus in curatione continuæ: nam & quantitate & qualitate deterior est & magis periculosa, licet materia sit vnius speciei. Vtimur quoque in continua victu tenuiori ob virtutem magis oppressam, & rhas. iubet extinguere maximè calorem febrilem. Prouocauimus hîc etiam vrinam cum decocto hordei, & se. 4. frigid. maior, quæ etiam ad sudorem faciunt, & intendimus magis lenitioni ventris ob siccitatem & maiorem metum phrenitidos, & ante coctionem minus vtimur solutiuis ob virtutem debilem, & eò quòd malam impressionem relinquant, & nimis calefaciant. ideò Auicenna contentus erat clysteribus leuioribus. Minus quoque in hac conuenit vomitus quàm in intermittente: at magis venæ sectio, quemadmodum exempla subsequentia magis declarabunt. Eadem quoque, quæ de accidētibus corrigendis diximus de febre acuta, huc transferenda.

OBSERVATIO XXVI. DE TERTIANA CONTINVA in viro Nobili bilioso.

IACOBVS Coppierus, vir nobilitate insignis, Dominus de Kalslagem, cùm annum ageret vigesimum quartum, vigesimo primo die Augusti, anno 1556. continua tertiana corripi cœpit, iuuenis raræ texturæ, satisque biliosus. Hic verò in Hagha Comitis decumbebat, cui Antonius Harwerus senex ille ac insignis medicus, honorario publico à Senatoribus Hollandiæ condecoratus, medebatur. Cùm autem hic, alioqui in praxi eximius, de vita huius

ægro-

ægrotantis deſperaret, me Alcmaria (vbi tunc habitabam & praxim exercebam) in Hagham Comitis euocarunt vxor atque eius amici. Decimo die quo decubuerat ad eum perueni, cùm peſſimè haberet. Medicus verò venæ ſectionem ab initio prætermiſerat, eò quòd vrina tincta quidem foret, verùm minimè craſſa. At de hac re latius in ſcholio ſubſequente. neque in principio aliquod leniens medicamentum exhibitum fuerat. Nunc verò ſtatu imminente ſectionem venæ omittendam eſſe nobis viſum fuit. eaque de cauſa cum medico præſente alterans iuleb quod ſequitur vnà præſcripſimus. ℞ ſyrupi acetoſi ſimplicis oxizach. ſimplicis ana ℥ j.ß. ſyr. de cichor. cum rhabar. ℥ j. aquar. end. cichorij borag. ana ℥ iiij.ß. fiat iuleb. ſumebat ter in die atque ter in nocte. Fiebat autem ſecundo quoque die, vt in aliis tertianis continuis exacerbatio. Verùm ex iulebo præcedente plurimum ſudauit atque habuit ſeceſſus copioſos, liquidos & biliſoſos. Præcedente verò die, qui erat nonus ab initio morbi, incidit in deliquium animi, ac ſymptomata grauiora, ſcilicet cephalalgiam, præcordiorum tenſiones, medico tunc minus ſperante, ita vt æger tunc ſumpſerit ſacram ſynaxim, & teſtamentum, quaſi hic emigraturus, conſcripſerit. Poſt illa ſymptomata cùm ego aduentaſſem, incidit in ſomnum grauiſſimum, ita vt per totam noctem altè dormierit, ſudore tandem rorido è toto corpore emanante. At die dominico manè cùm ego ægrum acceſſeram, qui erat 10. dies ab initio morbi, vt dictum fuit, pulſus tunc erat fortis, magnus, plenus, & vndoſus, ſudorem criticum eumque vniuerſalem futurum iudicabam: ideò ægrum quoque tum amicos bene ſperare iubebam.

cùm autem non diu poſt ſudore præcedente, facies ægri valdè ruberet, ac oculi rubicundi eſſent, deinde dolor in temporibus pulſatilis, cum hypochondriorum tenſione, pruritusque narium adeſſent, ſanguinis è naribus profluuium futurum audacter prædicebam, cùm & pulſus fortis, vndoſus, & mollis reſponderet. Vix vna atque altera hora prægreſſa mox ſanguis è naribus erumpebat: ita vt æger ex hoc prognoſtico, me non ſolùm peritum ſuſpiciebat, ſed ſimul in arte exercitatum extollebat, ita vt me excellentem medicum apud aſtantes & eos qui illum inuiſebant, prædicaret: & ita fiducia erga me confirmata eſt, quod ſanitatem ope diuina facilè conſequeretur. His modis enim fides medico accedit, vt tirones apud Bertrutium legere poſſent cap. de informatione medici, in libello ſuo, quem Collectorium inſcripſit. Interim dum hæc fiunt Antonius accedit, & quæ antea in ægro obſeruaſſet, enarrat, quodque infrigidantia tum alterantia prius præſcripſerat. Verùm ſudorem illum nunc præſentem, tum ſanguinis narium fluxum non decretorium, ſed ſymptomaticum eſſe dicebat, cùm hæc ipſa ante concoctionem eueniſſent, vrina nondum adhuc ſubſidente aut craſſiore facta. & hinc potius ad perniciem ægri hæc apparere, quàm ad eius ſalutem, aut morbum ſaltem longum fore & periculoſum. Contrà ego vrinæ iudicio ſolo non eſſe inſiſtendum contendebam, licet vrina non omnino ſubſideret, ea ipſa erat tincta, neque alba, quamuis nondum planè craſſa euaderet, cùm materiablilioſa etiam per ſeceſſum vtcumque euacuaretur, ita vt multæ euacuationes ab ipſa natura fierent, & quamuis hæc quidem expulſio ſymptomatica eſſet, per viam ſigni quidem mala,

mala, eam ipſam tamen per viam cauſæ bonam fore iudicabam, cùm materiam paratam ægritudinem facere, vel actu facientem minueret. Hinc quoque factum eſt, vt vndecimo die ſanguis è naribus fluxerit, & vrina incepit craſſeſcere, nobiſque magnam ſpem ſalutis præbẽs. Cùm decimo die ſanguis etiam emanabat, & vndecimo ſatis copiosè, & ſimul die ac nocte per interualla varia, telioſa, ac ſatis tenuia excrementa deiiceret cum alleuiatione, vires debiliores aliquo modo redditæ ſunt; victu paulò magis nutriente vſi ſumus, primo quidem pomis pruniſque coctis, mox ad ius pulli accedentes, colaticia, agreſta vel ſucco arantiorum iniectis. poſt vndecimam diem etiam oua molliuſcula conceſſimus, quæ in aqua infuſa leuiter concreta erant. Interim electuariis roborantibus refrigerantibus vtebamur, etiam conditis hunc in modum præſcriptis. ℞ conſeruæ borag. viol. ana ℥ ß. conſeruæ roſ. ʒ ij. corticum citri conditi ʒ iij. rob. de ribes ℥ ß. ſpecier. diarod. abb. ℈ ij. manus Chriſti cum perlis ℥ ß. ſyr. de ribes ℥ j. ſyr. de limonibus ℥ ß. probè miſceantur ad modum conditi. Decimo quarto die rurſus è naribus ſanguis fluere cœpit, cumque aſtantes metuerent, criſim perfectam exſpectabamus, cùm vrinam valdè craſſam etiam nunc meieret. quam cùm Antonius Harwerus ſpectaſſet, non modò in meam ſententiam ibat, morbum fore ſalutarem, ſed etiam breuem. Nox enim quæ ſubſequatur decimum quartum diem præcedentibus multò leuior erat & conualeſcere cœpit poſt omnes illas euacuationes à natura factas. Ex hoc prognoſtico non ſolùm gloriam apud multos adeptus ſum, ſed etiam pluribus nobilibus innotui. Fuitque æger ſanitati reſtitutus præter

ſpem multorum, admodum liberalis: à quo viginti quatuor aureos non tantùm accepi, verùm etiam aſtrolabium inſigne ex ære confectum mihi dono dedit, & quod magis gratum fuit, ab eo tempore mihi ſummus amicus exſtitit.

SCHOLIA.

HIC diligenter notandum eiuſmodi expulſiones, (videlicet fluxus ſanguinis narium copioſus, vomitus bilioſus, ventriſq; proluuies bilioſa, aut ſudor calidus) licet fiant in principio vel ante coctionem, non ſemper indicare mortem; licet ſint ſymptomaticæ: cùm poſſent nonnunquam iuuare, quemadmodum huic noſtro ægro euenit, licet vrina non ſtatim ſubſideret, nec perfectam coctionem indicaret: attamen cùm natura multas euacuationes faceret ægro bene ferente, & poſtea vrina quoque ſubſidente, ſanitas tandem ſubſecuta eſt, præter medici licet exercitati & amicorum aſtantium opinionem. propterea, vnico vrinæ iudicio non ſemper fidendum eſt. Eo tempore mihi in mentem venit, quæ Gilbertus Anglicus cap. De accidentibus ſymptomaticis hunc in modum ſcripſit. Et quamuis accidentia ſymptomatica (inquit) interdum nocent ægritudinibus ipſis, & infirmum in maius periculum, & medicum in maiorem ſolicitudinem ac timorem & anguſtiam & laborem inducant: qualia ſunt cardiaca diaphoretica, ſudor diaphoreticus, fluxus ventris & ſanguinis, dolor capitis, ſingultus & ſyncopis, aſperitas linguæ, excoriatio tracheæ, vigiliarum inſtantia, & mẽbrorum tremor, qui longè alius eſt à typo. Verùm quamuis eiuſmodi ſymptomata vel potius eiuſmodi expulſio ſymptomatica per viam ſigni plerumque mala ſit, per viam tamen cauſæ ſæpe bona exiſtere ſolet, eò quòd materiam paratam ægritudinem facere, vel actu facientem minuat, & interdum eandem eradicat

Gilbertus Anglicus.

eradicat ex toto, vt quotidiano vſu experimur: & ita talem fluxum ſymptomaticum inhibere noluimus. Neque fuit ſignum prognoſticon malum, imò bonum, quia paulatim materia expulſa per diuerſas & plures euacuationes, nequaquam excedentes, æger hic noſter curatus eſt. Leonardus quoque Iacchinus medicus ſanè doctus, ſcribens De criſibus, inquit, quæ ante concoctionem veniunt, quæ ſymptomaticæ dicuntur, aliquando iuuare poſſunt. Vt adoleſcens ille, de quo Galenus in lib. De præcognitione agit. & 1. epid. 3. Methon ille, profluuio ſanguinis ſunt ſanati, cùm alter crudas notas in vrina haberet: alter verò etiam lethales: nam nigra minxit quarto die. Quin & Anaxion vigeſima leuatus eſt ex criſi, cùm adhuc cococtæ non eſſent morbi cauſæ. Sed & eodem lib. 3. citat mulierem quandam, quæ ſudoribus iudicata eſt, quamuis vrinæ cruditatis haberent notas. Præterea quis negabit abſceſſum ad paralyſim in apoplexia eſſe vtilem? quo ſæpe æger è portis inferi reducitur. Sic & qui in lethargo fiunt abſceſſus ad aures. at impoſſibile eſt, vt concocta materia fiant adeò breui tempore. Quòd ſi ſymptomaticæ criſes in lethali morbo poſſunt tempus mortis producere, vt 3. epid. in Pithionis hiſtoria notat Galenus: quantò magis in ſalubri poſſunt eſſe vtiles? Et Herephontem abſceſſus ſeruarunt, cùm crudi adhuc eſſent humores. Sed quid aliunde exempla quærimus, cùm ipſi multos viderimus ritè iudicatos, non modò cum cruditatis, ſed & cum lethalibus ſignis: id per abſceſſum: aliàs verò nunc excretione, nunc ſanguinis, nunc deiectione leuatos magna vi morbi: poſtea morbi reliquias paulatim concoxiſſe, atque vtiliter vacuatæ fuere, quemadmodum & in hoc noſtro ægro contigit. In hac igitur varietate ſententiarum, omiſſis auctorum verbis ad rationes confugere oportet. Itaque humorum qui cauſa morbi ſunt, alij in vna parte ſunt collecti, ac quieti manent, donec concoquan-

Supra Rhaſem poſt caput 13. De conuulſione in Appendice.

Quando humores dicũtur furere.

coquan-

coquantur, alij rurſus per corpus vagantur: quod furere Hippocrates dixit, id eſt, natura proritata inſtar animantis, cui iritata tument loca ſemine (vt ait ille) *ad excernendum excitatur.* Hoc autem fit *dum validiores partes ad infirmiores propellunt, & quidem natura excretrix ſemper nititur à corpore abiicere: ſed aliquando contumacia humoris nixum illum fruſtratur*, quarto De vict. *Vnde in partem ſeponit, quæ vel natura, vel ex accidente aliquo eſt imbecilla. Quod ſi forte fortuna accidat, vt vna ex præcipuis ſit, ſtatim diſcrimen magnum ægro imminet. At ſi contrà res habeat, vt ad ignobiliores materia tendat, vt in podagricis fieri conſueuit, inopinata ſalus ægro aduenit. Hæc in lib.* De conſtit. *artis ad finem. Atque hinc fit, vt non prorſus certæ ſint præcognitiones ſalutis, aut mortis in acutis morbis. Quod ſi excernat è corpore, quid obſtat ſanitatem ſequi, vt ex abſceſſu? Nihil igitur inconuenit, minari quoſdam huiuſmodi criſibus, licet id rarò eueniat. Raræ autem euentu, neque ſub artis limite neque diſciplinæ alicuius comprehenduntur. Hinc fit vt* Hippoc. *&* Galenus *huiuſmodi criſes abominentur, quod ſcilicet plerumque malum potius & damnum adferant. Nam* 1. *epid.* 2. *cruda, vel malos abſceſſus, vel recidiuam, vel criſes difficiles & timoroſas faciunt. At hic in noſtro ægro licet vrina erat cruda, interim tamen erat tincta, quæ mox etiam craſſior facta eſt. cumq́; ſecundo in noſtro ægro* 11. *diè, deinde iterum* 14. *ſanguinis fluxus oboriebatur, vrina in* 11. *craſſa & concocta exiſtēte, illud optimum ſignum fuit. Non erat igitur ſanguis illi reſtringendus, neque ſudor; cùm motus naturæ ſpem aliquam ſalutis præbebat. nam ſymptomaticus fluxus ſit conſtringendus nec ne, vide* Gilbertum Anglicum *cap.* De accidentibus *ſymptomaticis: nam eiuſmodi euacuationibus peractis multos ſanatos eſſe animaduertimus: nam hæc peculiarem vim habent vt plerumque ſanept*

Num ſymptomaticæ exeretiones ſint impediendæ, quæ etiã ad criticas referendæ ſunt.

2. epid. 3.

2. epidim. Interim hic notandum, num magno impetu natura moliatur motum, an lentè & vi multa. Imprimis præstat nihil iuuare, sed potius procurare ne symptomatis æger fatiscat: quæ multa inuehunt crises agonisticæ. quam prouidentiam habuit Galenus in adolescente illo, cùm cucurbitulas ad inhibendum sanguinis profluuium secum tulit. Si lentè, iuuabimus vt Hippoc. fecit: qui Methoni cùm sanguis proflueret, caput lauit: quo remedio profluuium excitauit. Quod nos setis porcinis aliquando fecimus in puella quæ variolas habebat, & sanguis non satis è naribus fluebat: eo modo quoque si abscessus ad ignobiliora membra vertatur, iuuandus erit. Cùm igitur natura hic nobis indicauit sanguinem etiam admixtum fuisse bili, qui è naribus postea fluens sanitatem attulit, procul dubio venæ sectio in principio hic conuenisset, præcipuè cùm continua tertiana erat, quam medicus prætermisit, eò quòd vrina esset quidem rubra, non autem crassa in principio, iuxta Arabum quorundam decreta, qui alioqui in tertiana sanguinem non demunt. verùm hic considerandum arbitror, quod in omnibus febribus humoralibus quintuplices communes sint materiæ, & quamuis de materia febris non sint, eæ tamen febrem augent. Sunt igitur euacuandæ. Harum autem aliquæ contingenter, & non semper adsunt; aliæ necessariò, & semper. Prima igitur materia est sanguis, copia venas replens, & meatus obstruens, qui (vt in febre tertiana) propriè febris materia non est, febrem tamen auget, & interdum materiæ febris tertianæ, hoc est bili miscetur. Euacuatur hæc materia communis venæ vel basilicæ sectione. Quod ad secundam materiam attinet sunt humores in ventriculo nauseam excitantes. Euacuantur verò aut vomitu, si laborans facile vomat, alioqui non cogendus: aut leniente assumpto pharmaco, puto cassia aut manna, præsertim cùm in ipso ventriculo sentitur grauitas. Ad tertiam materiam

Materiæ cõmunes quintuplices in febribus humoralibus, quæ licet nõ sunt de materia febris, febrem tamen augent.

riam pertinent feces in intestinis, aut superfluitates in venis mesaraicis: enemate verò euacuantur. Ad quartam materiam referuntur, serosi & aquosi humores existentes in venis. Expelluntur autem in morbis à causa calida, vt in tertiana; emulsione quatuor seminum frigidorum maiorum: à causa verò frigida, stillaticio liquore adianthi aut hordei & radicis fœniculi decocto. Quinto ordine numerantur vaporosæ materiæ ex humoribus ad superiores partes euaporantes: educuntur autem per poros cutis fricando, aut sudoribus, operimentis ægrotantem tegendo, leuiter elicitis. At exemplum sequens hæc ipsa latius docebit.

OBSERVATIO XXVII. DE TERTIANA CONTINVA CVM VARIIS accidentibus 14. die curata.

PVELLA annorum viginti, culinaria, macilenta, syrio ardente, tertiana continua vehementiore correpta est; cui & hæc symptomata aderant: sitis intolerabilis, vigiliæ perdurantes, capitis dolor insignis, linguæ nigredo, hypochondrium dextrum maximè incalebat, vermes similiter deiiciebat. Ad hanc accitus, cùm grauitatem quandam in ventriculo sentiret & in superioribus intestinis, leniens medicamentum præscripsi. ℞ cassiæ recens extractæ ℥ vj. diaprunis simplicis ℥ ß. dissolue cum aq. end. borag. cich. ana ℥ j. addendo syr. viol. ex infus. ros. ana ℥ ß. misce, habuitque ex eo tres secessus. Ad materiæ communis eductionem in intestinis contentæ, in febribus tertianis continuis etiam hoc enemate commodè vti poterimus. ℞ folior. maluæ viol. lactucæ ana m. j. flor. nimpheæ albæ, viol. ana p. j. hord. mund. m. ß. quatuor se. frig. maior. ana ʒ j. prun.

prun. damaſ. numero x. coquantur in aqua communi pro ℔.j. colaturæ addendo caſſ. recens extractæ ℥ j. diaprun. lenitiui zach. rub. ana ℥ ß. ol. viol. ℥ iij. ſatis ʒ j. miſce, fiat enema. Vomitum autem hic non prouocauimus, qui magis conuenit in febre intermittente, quàm in continua tertiana. Quamobrem die ſequẽti cùm vrina eſſet tincta, ac venæ vtcunque plenæ eſſent, & calorem circa hypochondrium dextrum magis ſentiret, ex baſilica ſeu iecoraria vena brachij dextri ſanguinem depromere iuſſimus ad vncias ferè quinque. Deinde ſyrupos digerentes exhibuimus. ℞ ſyr. acetoſi ſimplicis oxizach. ſimplicis ana ℥ j. ß. aquar. acetoſæ boraginis endiuiæ ana ℥ ij. miſce, & ſumebat 11. vicibus. Die ſexto illa ita purgauimus. ℞ caſſiæ recenter tractæ ʒ vj. electuarij de ſucco roſ. ʒ ij. diſſolue ℥ iij. aquæ cichorij ſyr. ex infuſ. roſ. ℥ ß. miſ. fiat hauſtus. ex quo quinquies aluum depoſuit. Septimo die vrina valdè craſſa & concocta ſpectabatur, & vt aquoſitates bilioſæ magis effluerent emulſionem quatuor ſem. maiorum frig. propinauimus. poſtea etiam tegumentis leuiter ſudorem prolectauimus. Verùm quò ad ſymptomata ſupradicta mitiganda, ſtatim pro ſiti compeſcenda hordei decoctum dedimus cum ſyrupo de acetoſitate citri; deinde vt hoc cõdito vel ſimili ſæpius vteretur mandauimus. ℞ conſeruæ viol. oxalidis, nimpheæ, cauliculorum lactucæ conditorum ana ℥ ß. ſpecier. diad. frig. in tabul. ʒ ij. ſyr. de acetoſ. citri q. ſ. fiat conditum. Pro vigiliis cõtinuis, ſub noctem capiebat hordeata quibus ſemen papaueris albi pro emulſione adiecta erant. vel hunc ſyrupum ſubinde. ℞ ſyrupi pap. ℥ j. ß. aquæ lactucæ ℥ iiij. miſce. detur ſub noctem. quidam his adiiciunt ℈ j. pul. diamar. frig. voluntque

luntque eiusmodi corroborantia esse admiscenda ob narcotica. Ad capitis dolorem statim à venæ sectione ad oxyrhodina deuenimus ex aqua ros. nimphea & aceto concinnata: & quia in æstate eramus, ea frigidè applicuimus, alioqui in hyeme tepida applicamus. Ad nigredinem linguæ panni linei in hac mixtura inculcati linguæ vicissim apponebatur. ℞ muccaginis psili extractæ cum aquæ lactucæ aut ros. aut maluæ lib. j. subinde verò linguam sola muccagine cotoneorum humectauimus. Ad calorem hepatis vniuersalibus iam dictis remediis præcedentibus, prius rosaceo vnguento, deinde & hoc linimento commodè vsi sumus. ℞ cerati santalini ℥ j. ol. nenuph. ros. ana ℥ ß. lauentur, accuratius cum aq. ros. deinde adiectis spicæ nardi subtilissimi triti gr. vij. misce ac regioni hepatis applicentur. Hic sacculus sequens etiam nobis frequenter vtilis fuit. ℞ florum ros. rubearum flor. nimpheæ viol. ana p. j. omnium santalorum ʒ j. se. acetosæ portulacæ cichor. ana ʒ ß. spicæ nardi ℈ j. insuantur in sindone rubra, & fingatur sacculus ad semilunæ speciem, qui aquæ ros. cichoreæ irrigatus hepati lepidè prius expressus apponatur, idque manè ante cibum. Hic tamen notandum quod in morbi progressu tutius sit cordi quàm hepati refrigerantia apponere: quoniam gibba pars hepatis venas multas habet, quas, metus est, vt ob frigiditatem obstruantur. Sequens verò maximè à nobis commendatur. ℞ aquæ ros. lib. ß. aquæ acetosæ buglossæ ana ℥ iiij. omnium santalorum vtriusque coralli ana ʒ j. ß. pul. diamarg. frig. ʒ j. fragmentorum lapid. communium pretios. ana ℈ j. croci (ad seruandum naturalem temporum partis) ℈ ß. vim odoriferi albi ℥ j. His commistis fiat epithema

thema cordi tepidè, si videatur intensus calor. quidam pro vino accipiunt acetum. Vinum magis conuenit ac aromaticum est. Pro vermibus vsi sumus linimentis ex aloë, oleó amigd. amar. absynthij succo portulacæ, puluer. cornu cerui vsti, exigua adiecta cera, vmbilicum eo inungendo. interim per os puluerem cornu cerui cum syr. de limonibus exhibendo, quemadmodum etiam vsi sumus in puella annorum 18. filia illius cereuisiarij, pro cuius ædibus cantharus quo vinum funditur pro insigni erat. quæ simili tertiana & iisdem accidentibus vnà cum vermibus & subinde fluxu ventris laborabat, hæc quoque præter spem multorum, quemadmodum supradicta puella culinaria, decimo quarto die à febre tertiana continua liberata est.

Scholia.

Scribit *Concoregius (cui Sauonarola ac alij practici egregij consentiunt) capite proprio, quod curatio tertianæ continuæ proxima sit curationi tertianæ intermittentis: nam in hac etiam, inquiens, primò incipiemus cum lenitione ventris, sicut in illa, & eodem modo cum cassia, manna. & cum clysteribus alterantibus quandoque & lenientibus, cùm in hac febre excrementa plus exsiccantur. Procedimus insuper cum venæ sectione, si sanguis cum bile exsuperet. & licet sanguis sit frenum bilis, in continua tamen modica euacuatio, teste Sauonarola, non nocet: imò infrigidat calorem febrilem. Et licet Arabes suadeant ex sola vrina crassa rubra sanguinem esse detrahendum, ex tam fallaci coniectura malè consilium phlebotomiæ sumunt. Talis enim vrina etiam rubra aliquando infirmo hepate, vel rene, aut aliis de caussis, non ex natura febris etiam contingere poterit. Præstat igitur & alia signa, quæ*

venæ sectionem indicant consulere, vt est magnitudo morbi & virium robur aut debilitas. Hæc magis indicant phlebothomiam (vt alias demonstrauimus in libello nostro De incerto vrinarum iudicio) non autem lotium. Propterea quoque in principio huius febris venæ sectionem non omittemus, si lotium fuerit tantùm rubrum, tenue, & non crassum, ob quam causam in Obser. XXVI. *præcedente neglecta fuit, cuius vices postea profluuium sanguinis narium suppleuit. Vomitus minus vt diximus conuenit in tertiana continua, nisi nausea vrgente, tunc quidem aqua tepida zacharo adiecto, vel syrupo acetoso simplici leuiter prouocari posset. Vbi verò materia non turget, & concoctio exspectari posset datur syrupi alterantes cum aquis stillatiis, vel decoctis in hunc modum.* ℞ *endiuiæ scariolæ rostri porcini ana m.* j. *capill. ven. politrici linguæ ceruinæ ana m.ß. flor. nimpheæ albæ, viol. ana p.* j. *se.* 4. *frig. maior. ana* ʒ jß. *si portul. lactucæ scariolæ ana* ʒ j. *prun. damasc. numero* xiij. *coquantur in aqua communi pro lib.* j. *colaturæ adde syr. acetosi simplicis oxizach. ana* ℥ j. *misce pro decocto. Si materia turget, dant medicamentum eradicans quamuis leue neque calidum, vt minus bilem exagitet. Si materia est multa, in principio exhibent medicamentum minuens propriam materiam, id est bilem, scilicet ex illis quæ tradita sunt de febre ardente, vel de tertiana intermittente dicetur, idq; pro morbi & virium ratione. Vbi verò concoctio exspectari potest, iuuanda erit natura cum syrupis digerentibus iam dictis, vt ipsam coctionem celerius perficiat. Signis autem coctionis apparentibus, si natura nihil expellat, postridie exhibeatur solutiuum medicamentum leue, tamen idq; in die minoris exacerbationis, vt infusum rhabar. cum aqua end. vel decocto thamarind. vel aliud de febre ardente prius scriptum, vel quæ nos vsi sumus in febribus continuis tertianis præcedentibus: interim succur-*

Syrupi digerentes & alterantes.

Materia turgente, quid faciendum.

succurrimus accidentibus, siti, vigiliis, capitis doloribus, nigredini linguæ, calori hepatis, vt de febribus ardentibus similiter ostensum est. Ad vigilias confert etiam hæc lotio brachiorum, crurium. ℞ folior. lactucæ, salicis, cucurbitæ ana m. iij. flor. nenuph. ros. viol. ana m. j. calicum pap. albi cum se. numero iij. decoquantur in aqua & crura tepidè tum brachia lauentur. Ceterùm de his latius cap. proprio de symptomatis febrium dicetur. Antonius de Gradi cap. De febre tertiana continua, maximè verò pueris vermes in hac febre apparere scribit, pro quo accidente ad vermes necandos & febrilem calorem extinguendum emplastro vtitur ex ℥ j. farinæ hordei succi crassulæ minoris (quæ in pandecta pro vermiculari & semperuiua minori habetur) lib. ß. aceti albi ℥ j. applicat autem vmbilico.

OBSERVAT. XXVIII. DE CONTINVA TERTIANA IN PRÆGNANTE.

CIRCA æquinoctium autumnale, aliquot continuæ febres tertianæ admodum periculosæ anno 1560. à Christo nato, oriebantur: quo tempore consiliarius ille Damianus de Droegendijck eadem febre decumbens obiit. Hoc ferè eodem tempore matrona nobilis de Druynen, annorum viginti septem, cum vndecim ferè septimanas grauida fuisset, febre tertiana continua in Hagha Comitis apud fratrem agens, videlicet 25. die Septembris corripi cœpit. Vtcunque plethora afficiebatur, satisque robusta, multisque humoribus repleta, facie existente vtcumque rubicunda ac inflata, tum dolor capitis vehementior eam apprehendebat, ita vt subinde in paraphrenitidem incideret. Febris hæc erat continua, quemadmodum præsens, cùm ad eam accitus

 essem,

essem, facilè animaduerti: nam tertia quaque nocte exacerbationem habebat, cum vomitu quodam bilioso, cui pauca portio pituitæ admixta erat: quod tamen rarius in tertiana continua contingit, sed multò frequentius in tertiana intermittente. desinebat autem in remissionem quãdam, at non in veram intermissionem: ita vt facilè cognouerim hanc tertianam esse continuam. Cùm verò post meridiem Delphis eò vocatus essem, omnium primo sequentem syrupum præscribo. ℞ syrupi viol. oxizach. simplicis sy. de acetos. citri ana ℥ ß. aquar. end. borag. cichorij ana ℥ j. misce. & sumpsit vnica vice. Pro potu quotidiano, vt vteretur simplici ptisana, iussi. Altero die qui erat 27. Septembris cùm redirem & febris intenderetur, deinde in prægnante hæc periculosa esset, ne etiam abortum pateretur iuxta aph. Hipp. 30. lib. 5. Mulierem vtero gerentem capi (inquit) ab aliquo morbo acuto, lethale est. Quamobrem ob calumniam vitandam, cùm ego semper præsens esse non possem, de secundo medico qui in Hagha habitaret vocando, qui semper coram adesse posset, mentionem habui. & ita vocatus fuit Hugho Nieuenius medicus Haghanus, qui in vicinio ægrotæ decumbentis habitabat. Cùm verò præcedente nocte peius habuisset, atque medicamentum manè exhibendum esse prius proposueramus, cùm intra tres dies secessum non habuisset, de pharmaco ventrem leniendo inter nos consuluimus. Nieuenius verò cassiam valdè laudabat. ego verò in prægnante mannam præferebam, eò quòd cassia à renibus potissimum vacuaret, vnde facilius abortus oboriri posset in prægnante, cuius ratione illustris ille Medicus Ludouicus de Leonibus Bononiæ, & Florentiola, præcepto-

res Io-

res Iohannis Tiengij Medici Amſtelrodami, qui eo tempore quo ipſe Italiam accederem, mortui erant, nequaquam caſſiam in prægnantibus dandam conſulebant. Idem & Elideus præceptor meus Bononiæ, ſi quis alius in praxi exercitatiſſimus, ſentiebat. Eaque de cauſa præſtantiorem medicinam in hoc caſu non inueniri, quàm mannam ipſam, proponebam: & licet aliquo modo in bilem verteretur, cum aqua endiuiæ, vt melius refrigerãdo feces educeret, daremus. Alia autem pharmaca minus hîc conuenire dicebam, cùm prægnans foret in principio, & nondum grauida ad tertium mẽſem progreſſa; propterea ex alio pharmaco exiſtente fortiore facile abortiri poſſet, iuxta decretum Hippoc. qui iuſſit lib. 5. aphor. 29. grauidas purgari debere, turgente materia à quarto menſe vſque ad ſeptimum, minus verò has: recentiores autem (inquit idem) & ſeniores vereri oportet: de qua re latius in ſcholio ſubſequenti. Cùm itaque quinque ſeptimanæ adhuc ſupereſſent, antequam ad quartum perueniret menſem: tutius eſſe duximus vt leuiori medicamento id præſtaremus. Et ſic tandem communi conſilio, medico noſtris rationibus acquieſcente ℥ j. ß. mannæ ſelectiſſimæ, in ℥ ij. ß. aquæ endiuiæ, vt potio breuior eſſet, ne nauſeabunda euomeret, dedimus. Nam vomitus facilè abortum prouocat. Medicus præſens libenter doſim ad ℥ ij. auxiſſet, ſed quia debilior, ſat fuit. qua doſi cum vxor mea chariſſima Eua Teylingia, deploratè inflammatione vteri laborans menſe Iulio præcedente accepiſſet, quatuor ſeceſſus habuit, corruptos atque bilioſos, cum maxima alleuiatione: eodem modo & hæc prægnans, cùm hora tertia à prandio ſumpſiſſet, ter bilioſa eaque liquida, fœ-

tentia deiecit, vt se postea multò leuiorem diceret. Vigesimo septimo Septembris iterum vnà ad eam redeuntes cùm febris adhuc continuò affligeret, & plethora afficeretur, satisque carnosa foret, missione sanguinis assueta, facie rubicunda, venisque apparentibus, communi consilio, rationibus persuasa, sexto die ab initio morbi sectionem venæ admisit. Et in prægnante extractæ sunt vnciæ quatuor (de qua re latius in scholio dicturi sumus) & bene tulit, vt deinde melius habere cœperit. Vigesimo octauo die Septembris cùm ad eam reuersi fueramus, qui erat septimus dies ab initio morbi, & facta est crisis per alui fluxum, cùm multa biliosa deiiceret, & quædam etiam euomuerit signis coctionis præcedentibus: octauo deinde die melius habuit, nec nono die febris vehemens fuit, & cùm in declinatione sudasset, amplius non febricitauit, & fuit perfectè sanata. Post exhibitam potionem ex manna bis adhuc cœpit syrupum præscriptum, & ad roborationem ac alterationem vtebatur condito in superficie foliis auri obducto ex conserua viol. borag. manus Christi compositione cum perlis (vt vocant) corticibus citri, syrupo de acetos. citri adiectis. interim ad maiorem refrigerationem, lumbi tum hepar inungebantur vnguento rosaceo descript. mesue. Nono die sanitati omnino restituta fuit.

SCHOLIA.

Quando euacuatio debet præcedere venæ sectionem & quando subsequi debet.

QVOD *autem in hac nobili muliere prius bilem eduxerimus cum manna, deinde ad venæ sectionem peruenerimus, id secundum canones medicorum illustrium factum est. Vult autem Arculanus suo tempore egregiè in praxi versatus, vbi sanguis aut bilis aut alius humor æqualiter*

liter dominentur, vel sanguis aliis superet, vt curatio à venæ sectione initium sumat, postea verò bilis euacuetur. Si verò sint permixti humores, ac apti sunt cum sanguine educi, à phlebotomia incipiendum erit: vbi verò sunt permixti, neque apti sunt cum sanguine vt educantur, ab euacuatione prædominantis humoris cum pharmaco initium curationis aggrediendum est, deinde vena secanda. Et ita de quocunque humore cum sanguine peccante dicendum. Si verò alius humor cum bile abundet, ambo simul euacuandi, & ille magis qui dominatur. Si verò bilis æqualiter dominetur, ea ipsa magis euacuanda: hæc enim magis suspecta & ceteris paribus euacuationi magis parata. Idem de aliis humoribus dicendum inuicem permixtis, semper enim is, qui magis dominatur ac digestus sit, & de quo plus timetur, magis est euacuandus. Hanc tamen rationem Montanus videtur refellere, qui etiam ex mente Galeni hanc ponit regulam, si fuerit dominium paucum humoris cum sanguine, sitq; illius parua substantia à natura sanguinis, debemus tūc mittere sanguinem, non tamen tantum, quātum si fuerit dominium multum sanguinis. Si autem multū discesserit à natura sanguinis, adhuc parcius: si verò plurimum, non debemus tunc sanguinem educere, sed euacuare. Itaque tres sunt conditiones, parum, multum, & plurimum, pro regula. Causam huius vide apud Montanum. Alia etiam regula est apud Galenum: vel humores sunt imprimis venis circa hepar in mesaraicis, quæ ventriculum, splenem, intestina circundant: tunc ante sanguinis missionem vacuandum est. & sic in fundo ventriculi vel in intestinis quoque euacuandum. si sunt in aliis venis commixti sanguine, & crudi, prius concocti & euacuati, demum sanguis mittendus est: si verò limosi, adusti, non est mittendus sanguis, & hæc sermone lucidiore declarantur 5. meth. De Curatione catharri. Vbi enim limosi sunt humo-

Supra Rhaſ. cap. De curat. cephaleæ ex bile.

In commēto ſupra Rhaſ. cap. De dolore capitis ex materia biliosa.

humores in venis, non est mittendus sanguis, sed prius euacuandi sunt, vt sanguis mundificetur. Alia plurima eaq; vtilissima de hac re vide apud Montanum lectione 4. supra Rhasem, & Langium medicum præstantissimum epist. 17. lib. 1. in qua & minoratiua pharmaca auctoritate Alexandri Tralliani & Actuarij commendat. Ideò cum humores essent in intestinis crudi, & venis mesaraicis, & tribus diebus sponte hæc ægra non deiecisset aluum, hac quidem ratione primò euacuauimus leuiter, deinde commodè sanguinem detrahere iussimus. Et licet in prægnantibus admodum periculosa vtraque sit euacuatio, ita vt Hippoc. grauidas purgari turgente materia à quarto mense vsque ad septimum iusserit: minus verò has: recentiores & seniores vereri oportet: & cum tria sint tempora fœtus, triplices quoque causas Gal. in comment. adducit, quod in principio facilè abortum patiuntur ob teneritatem, sicuti fructus cùm prius incipiunt, vel poma arboribus minus adhærent, sed vento facilè labuntur, in medio verò difficulter decidunt, in fine facilè ob maturitatem. Et sic Hippocrates purgationes concedit in medio tempore, quia tunc fortiores, & sic minus sunt periculosæ. Non tamen prohibet aliis temporibus non posse fieri per lenientia. Et quamuis curatio in feb. acutis seu continuis prægnantibus sit difficilis & periculosa vt ex comment. Gal. liquet 3. lib. 1. Hippoc. De morbis vulgaribus, sunt tamen ipsæ medicandæ, ne mortis nomine medicus accusetur. Primis quidem mensibus (vt ad longum docet Benedictus Fauentinus præceptor meus charissimus) ne vincula fœtus rumpantur, eò quòd tenuia sint ex purgatione violenta, lenientia tamen conceduntur, qualia sunt manna thamarindi, pruna, rhabar. in propria substantia & non in infusione. Quarto, quinto, sexto & septimo mense minus est periculi, licet mitiora etiam tunc conueniant: in vltimis tribus mensibus

Vtrum prægnantibus euacuatio & venæ sectio conueniant.

Commento suprà 1. aph. lib. 4.

ſibus, etiam lenientibus vti poterimus. Cùm autem ſimpliciter Hippocrates *dicit, ſunt medicandæ, id quoque intelligendum eſt de ſanguinis miſſione, interim cum quadam cautione, vt de purgatione dictum eſt. Et ideò aphor.*30. *lib.*5. *ſemper veritatem non habet. Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale eſt: nam experientia comprobatur, quod aliquando, ſi rectè medicentur. At licet hoc ex natura morbi acuti contingat, vbi cogimur vti tenuiori diæta, vel ex ſæuitie morbi acuti & accidentium, atque tunc ſit lethale: non tamen neceſſariò, verùm magna ex parte, qua ratione* Hippocrates *dixit lethale eſſe. Præterea quod* Hippocrates *pronuntiauerit, quod mulier vtero gerens ſanguine miſſo ex vena abortit, & magis ſi fœtus ſit maior, eò quòd alimento deſtituitur fœtus, ob quam ſanè cauſam victum tenuem non ſine periculo obſeruari aiunt. Ceterùm ſicut in breui abſtinentia, dum reliqua conſentiunt, nihil eſt periculi; itidem nec in parca ſanguinis detractione, cùm cetera ſuadent; nempe morbi magnitudo, facultas vigens, & ætas floreſcens, ſanguinem partiendo, vt Gal. ſuadet De curat. per ſanguinis miſſionem cap.*12. *intermediis temporibus prægnantem nutriemus. Hoc modo præceptores mei Elideus & Benedictus* Fauentinus *ſectionem venæ adhibebant, & Iacchinus ille doctiſſimus hunc aphoriſmum exponens, aut veteres de venæ ſectione intellexiſſe maiori, qua libram ſeu ſelibram extraherent, non autem paucam extractionem: nam ſanguinem mittere, non ſecus atque vnumquodque aliud remedium, magnam pluris & minoris differentiam habet.* Intellexerunt *de ea qui nota digna ſit, quam nimirum ſanguinis miſſionem iure dicas. Illas enim adeò parcas, imò exiguas detractiones, quibus vulgo noſtri medici vtuntur, ne ſcarificationis quidem nomine dignati forent, vti ex menſuris quas aliquando pro exemplo ponunt, coniicere eſt.*

Vtrum ſanguinis miſſio conueniat in prægnantibus.

Iacchinus.

est. Quod verò hæc Galeni & veterum mens sit, inde coniici potest in libello De scarificatione. Inutile (inquit) est bis per annum venam secare: prohibere tamen qualemcumque sanguinis detractionem non decuit, qui eadem quoque die iterari venæ sectionem aliquando suadet. De integris igitur & effatu dignis vacuationibus necesse est dixisse. Si igitur ætas, & corporis habitus, victusq; qui præcessit, vnà & cæli status consentiant, quis dubitabit obsecro, prægnanti sanguinem mittere? quanquam parcius id fiet. Sic nos profectò plurimas vidimus, multas quoque videre amici, vel pleuriti, vel pulmonia, vel angina, aliòue quopiam acuto morbo correptas, non modo abortum perpessas non esse, sed euidentissimam vtilitatem ex vena secta sensisse, non solùm in mediis mensibus, in quibus Hippocrates *fieri suadet, verùm etiam in primis & vltimis. Sic mulieri Alcmarianæ, cui nomen* Remula *erat annorum viginti quatuor, cùm sanguinea & robusta esset, anno* 1549. *mense Octobri cùm sæuissima pleuritide laboraret in vltimo mense partus, hoc est, in principio noni mensis, sanguinem ad vncias quatuor ex basilica vena eiusdem lateris, detrahere iussimus, & conualuit. Alìud exemplum continuæ tertianæ in prægnante curatæ subiiciemus.*

OBSERVATIO XXIX. DE CONTINVA TERTIANA GRAVISSIMA IN prægnante ex venæ sectione curata.

MARGARETA Adriani vxor illius Iodoci Gherardi cereuisiarij, qui libenter cum doctis, literatis & medicis potissimum versabatur, in æstate mulier vtcunque biliosa & valdè prolifera, prægnans, tertiana continua eaque grauissima cum capitis ingenti dolore correpta est. Hæc ipsa imprægna-

prægnata aliàs semper sanguinem sibi detrahi iusserat, ne infantes (vti illa dicebat) nati postea scabiem incurrerent. Decumbebat autem hæc Delphis apud templum Nouum, atque ita ex febre vehementiore, dolore capitis tentabatur, vt delirium metueremus, quo in morbis acutis ipsa valdè obnoxia erat. Imprægnata septimum mensem nunc attigerat, cumque huic venæ sectionem vtilem esse proposuissem, quã ipsamet vltrò expeteret, vulnerario medico accito vena communis secta fuit, atque ab ea extractæ sunt vnciæ sex, quo solo remedio adeò fuit alleuiata, vt dolor capitis tum febris cessarint, atque sanitati probè restituta, duas gemellas robustas atquè bene valentes post duos menses peperit.

SCHOLIA.

NOVI *& alias quasdam mulieres prægnantes, præter hanc, quæ solitæ erant etiam in principio, nonnullas quoque in fine noni mensis, ne pueri eorum scabiosi nascerentur, sectionem venæ admittere, nullo morbo vrgente, neque abortum passas. quam tamen opinionem ita mordicus (vt quidam chirurgi, qui sine discrimine in omnibus prægnantibus sanguinem detrahunt) tenere non oportet, cùm in prægnante non sit facienda, præcipuè in principio & in vltimis mensibus, nisi febre acuta vel alio morbo graui vrgente, ceterisq; indicationibus consentientibus. quibus quidem animaduersis commodè in hac, quemadmodum & in præcedente prægnante, sanguinem detrahere iussimus, quemadmodum præstantissimi hodie quoque medici faciunt, vt Amatus in muliere illa Vrbinate quadragenaria, secundo mense partus ex vena communi in febre continua sex vncias extrahere iussit, & in vxore propolæ ad vncias septem, & in alia in sexto mense causone correpta,* Centur. 5. Curat. 27.

repta, in qua primum vncias quinque, deinde ex iecoraria quinto die vncias ſex ſanguinis extraxit, & nono die ex baſilica ſiniſtri lateris rurſus vncias ſex & bis euacuauit cum manna & rhab. etiam in decimo quarto die decretorio: cur hoc fecerit, ibidem rationem ponit. decimo nono die iterum inter annularem & minimum digitum tres ſanguinis vncias demit & 27. die fuit curata. ita vt in totum viginti vncias ſanguinis partitione facta ab ea extraxerit, & bene tulit, & non abortiit, ac curata fuit. Noſtræ tamen Batauæ mulieres, quæ molles ſunt, vix illas toties repetitas ſectiones ferrent: quamuis hæc miſſio ſanguinis auctoritate Galeni & etiam Abinzoaris minus periculoſa primis menſibus quàm mediis aut vltimis. In omni tamen tempore (vt Amatus ibidem annotauit) puerperij vel dum prægnans eſt, fieri poteſt, cùm hæc ipſa minus periculoſa ſit quàm purgatio, aut euacuatio quæ per pharmacum fit, modò tamen euacuandi modum animaduertamus, quia ſanguinis facillima fit extractio, vt nulla aut parua in corpore ſit commotio: ſi quæ tamen ſuperuenit (fluente ſanguine) ilicò cohiberi poteſt, ac veluti manu teneri, quæ in purgatione fieri non poſſunt. Et ideò tutior eſt venæ ſectio medicamento ſolutiuo, quia ſtatim reprimi poſſet, ſi ſyncope vel accidentia oboriantur: at medicamentum intro exhibitum oportet, vt vel operetur in materiam peccantem vel corpus ipſum: quamquam, ſi rem quæ extrahitur, ac à corpore deponitur, reſpexerimus, procul dubio ſanguinis extractio periculoſior eſt, cùm ſanguis animæ ſedes & pediſſequa, tanquam à natura theſaurus reconditus ſit. Qua de re Gal. lib. De ſanit. tuenda 4. vbi vires plus iuſto imbecilliores ſunt, ſanguinis miſſionem prorſus fugere præcipit, & aluum mediocri medicamento deiiciendam mandat: at in parua quantitate, cùm & ipſa poſſet reprimi. doctiores tamen ſectionem minus periculoſam ſtatuunt, licet Petrus

Centur. 1. curat. 57.

Sanguinis extractio minus periculoſa purgatione.

Gal. lib. 2. De rat. vict. in morb. acut. & lib. De curandi rat. per ſanguinis miſſionē.

Aponus conciliator dictus contrarium sustineat. & ita in Diff. 66.
priore matrona nobili hora 10. ante prandium, cùm febris aliquo modo remitteretur, sanguinem detrahere mandauimus, eodem modo & in altera: tempus enim remissionis vel minoris afflictionis eligendum erat, neque conuenissent in die decretorio. in quarto mannam exhibuimus. in sexto venã secuimus, cùm ab initio vocati essemus: quamuis Galenus non numero dierum, sed vni virium robori in febribus attentus, non solùm sexto septimòue, sed etiam diebus sequentibus sanguinem mittit. Ita & Auicenna contra eos qui dicebant non esse bonum post quartum diem sanguinem demere, inquit etiam post 40. dies, modò vires adsint: quanquam præstat in principio id facere, antequam vires deficiant, pulsu semper inter secandum obseruato, iuxta decretum Galeni, iubentibus quoque vt statim à venæ sectione non dormiant, licet medicus præsens dum priorem mulierem tractaremus apud probatos auctores se non legisse hoc testabatur; licet Galenus somnum inhibuerit in historia illa 9. meth. descripta. Ab Arnoldo de Villa-Noua & Auicenna somnus quoque inhibetur. Somnus enim humores intro rapit, venæ sectio extra propellit, & ideò somnum prohibemus ne intro redeant. Vide rationem Iasonis Pratensis medici Ziricei, cur non sit dormiendum à venæ sectione. Nieuenius existimabat à venæ sectione vigilandum, quòd in accessionibus dormire non licet. imò neque in accessionibus particularibus sanguis mittendus, neque dormiendum, neque cibus dandus, aut aliud quicquam faciendum vt aphor. 11. lib. 1. constat atque eadem ratio est, vt etiam declarabat Gal. aphor. 1. lib. 2. vt spiritus ac sanguis in quo calor habitat, ad exteriora retrahatur. & quamuis eadem sit causa, qua somnum à venæ sectione prohibemus, quamuis in principio morbi vniuersalis fieri posset, nequaquam tamen in accessione particulari, & ideò

Quo tempore fienda sit missio sanguinis.

9. Method.

Lib. 1. fen. 4.

Lib. De curandi ratione per venæ sectionem.

Lib. De reg. sanitat. cap. 37.

Auic. cap. proprio De venæ sectione.

Iason Pratensis de cerebri morb. cap. 9. De curatione hæmicraneæ.

pessimè faciunt chirurgi, qui in accessionibus febrium, quemadmodum tonsores apud nos malè consuevere, venam secant. Hæc obiter de sanguinis missione hîc dixisse nobis utile visum fuit.

OBSERVATIO XXX. DE QVADAM FEBRE TERTIANA CONTINUA NONO DIE INTERFICIENTE.

ANNO 1564.in Autumno,cùm ad Cornelium Zuzium Hollandiæ præsidē vigilantissimum, ex podagra & chiragra laborantem in Hagham Comitis accitus essem,ut eundem curarem:mox eodem tempore ex eiusdē ædibus Leydas euocatus sum ad nobilissimum Dominum de Lockhorst, qui in tertianam continuam eamque acutissimam inciderat, quem Leydanus Medicus tractabat. At cubiculum ægrotantis ingressus,in eo erat ignis luculentus,multa lignorum strue incensus, unde locus in quo decumbebat æger calidissimus euaserat, ita ut per calorem insignem resolutus in syncopen inciderit; vir admodum macilentus, & si quis alter rarissimæ texturæ & valdè biliosus. lotium quod tunc reseruatum erat, insigni rubedine tinctum spectabatur. Ignem ex cubiculo statim amouendum iubeo,atque aqua inspersa tum aceto solum refrigerari præcipio, cùm animaduertissem ægrotantem febri continua tertiana detineri. Medicus verò præsens cùm de ægri salute semper bene sperasset, primò lenitiuum exhibuerat, iulebos quoque, venæ sectione neglecta. quartus erat dies, quo dominum accesseram; at cùm phrenitidem metuerem ex ingenti dolore capitis, & calore immenso refrigerantia alterantia & somni-

somnifera vnà præscribimus. Altero die qui erat quintus ab initio morbi, cùm phlebotomia esset prætermissa, communi consilio venam iecorariam in brachio sinistro tandem secare fecimus, sed quia paulò debilior, paucum sanguinem vt chirurgus extraheret mandauimus. Profuit quidem, licet melius iuuasset, si ab initio vena secta fuisset in febre tam acuta. Post sanguinis detractionem sequente die nempe sexto melius habere visus est. At in septimo peius, ita vt delirauerit, & in aphtas quoque lapsus sit, quibus accidentibus vires corruebant. Pro victu hordeato vtebamur, verùm parum etiam aliis remediis profecimus, ita vt ex signis malis tum vehementia morbi moriturum ægrum prædixerim, medico præsente in contrarium tum ægro tum amicis salutem pollicente, licet pulsus singulis horis deficeret, viribus paulatim decrescentibus, & febre magis augescente. octauo die omnia peiora erant: nono incidit in lipothymiam grauiorem, à qua cùm ad se rediisset, sacerdotibus reliquum curationis relictum esse amicis prædicebam, atque iis muniretur quæ demigraturis ab hoc seculo adhiberi solent, alio medico adhuc bene sperante. Sub noctem pessimè habere cœpit, ac eadem nocte obiit. Vnde ego ex prædictione honorem, alter medicus ignominiam habuit. Nihil itaque in morbis periculosis præstantius, quàm bene prædicere. Nam à vera prædictione si æger moriatur non minus gloria, quàm ex sanatione habetur, cùm omnes decumbentes curari non possint.

SCHOLIA.

QVAM *sint necessariæ medicorum prædictiones, docuit Hippocrates lib. 1. prædictionum, vt etiam nos aliàs ostendimus in libris nostris contra Empiricos, præter id quod*

Ob tres causas vtiles prædictiones medicorum.

id quòd ægri parent propensius, ac medicus præsentiendo futura, de longinquo obuiam it, demum quod maximè eius famam conseruat, crimine vacat internecionis. Verùm quod ad hanc febrem curandam attinebat, aliquis dubitare posset, cùm medicus astans plus iusto segnior esset in sanguinis detractione in febre tertiana acuta continua, in qua magis quàm in intermittente, vt dictum est, ab initio conuenit, nunquid hæc febris magis aucta fuerit, vt postea minus curari potuerit? quin potius hæc ipsa fuit maligna vt mortem intulerit: ignis tamen luculentus in cubiculo ægri minus conueniebat, quin potius aër frigidus & humectans, qualis in febribus continuis vtilis esse censetur.

OBSERVATIO XXXI. DE TERTIANA CONTINVA NOTHA.

MONACHVS regularis Procurator in monasterio Heyloë, ab vrbe Alcmariana passibus aliquot distãte, annorum quinquaginta, anno 1548. in principio veris, in tertianam notham continuam lapsus est: tertio quoque die febris inualescebat, ad veram intermissionem non perueniens, quamuis minus acuta & vehemens esset. Ad hunc vocatus, post ventris lenitionem ex cassia, postea die minoris afflictionis eidem vt venæ sectio ex vena basilica in brachio dextro fieret, mandauimus, ad vncias sex, cùm lotium rubrum esset & vtcumque crassum. Mox ob ingentem capitis dolorem, cùm adhuc in morbi principio vniuersali essemus, sequens epithema fronti actu frigidè vel vix tepidè applicari iussimus. ℞ aquar. bethonicæ equiset. end. plantaginis ana ℥ j. ß. ol. rof. ℥ j. aceti optimi ℥ ß. misce. & dolor capitis mitigabatur. Deinde quatuor diebus continuis ad

nuis ad materiam digerendam biliosam & pituitosam hoc syrupo vsi sumus. ℞ syrupi de end. ℥ j. mellis rosati colati ℥ ß. aquar. bethonicæ end. buglossæ ana ℥ j. misce pro vna dosi. quam singulis diebus capiebat. Post septimum diem ita eum purgauimus. ℞ diaprunis simplicis ℥ ß. electuarij de succo rosl. diaphœnici ana ʒ ij. aquæ bethonicæ buglossæ ana ℥ ij. syr. de cichor. Nicoli cum rhab. mellis ros. colati ana ℥ ß. misce, fiat haustus. quo sexies multa biliosa, ac simul quædam pituitosa excreuit, ita vt febris eum minus affligeret, quanquam nondum ab ea in totum euaserit, vrina adhuc magis subsidente. Postea verò etiam ex sequenti decocto bis in die vtebatur. ℞ endiuiæ, cichorij, dentis leonis, bethonicæ, agrimoniæ, fumariæ ana m. j. cardui benedicti m. ß. florum cord. ana p. j. seminis anisi fœniculi ana ʒ j. ß. se. 4. frig. maior & minor. ana ʒ ß. prun. damasl. quar. ß. hordei mund. m. j. iuiubar. sebesten recent. ana numero vij. omnia artis ratione coquantur in aqua communi pro lib. j. ß. coletur, colaturæ addantur mellis ros. colati syr. de end. sy. acetos. simplicis ana ℥ j. adiiciatur zach. parum & aromatisetur cum ʒ j. ß. specier. diarod. abb. & fiat potio clara. Postremò cùm hoc decoctum sumpsisset, denuò illum hoc modo purgauimus. ℞ diacatholici ℥ ß. elect. de succo ros. diaphœnici ana ʒ ij. aquæ bethonicæ cichorij, fœniculi ana ℥ j. mellis ros. colati ℥ j. misce, fiat potio, quæ manè sumebatur, ex qua sexies vel septies aluum deposuit. Ad roborationem ventriculi sequenti electuario vtebamur. ℞ specier. aromatici rosati specier. diarod. abb. ana ʒ ß. dissolutis in aqua cichorij adiecta ℥ j. ß. zach. albissimi, fiant rotulæ ponderantes ʒ ij. quas omni manè sumebat. Tirones hic

animaduertant vt pro ℈ j. ſpecier. ℥ ß. ſacchari addatur in conficiendis tabul. quanquam medici quidam plus zach. addentes, inefficaciorem confectionem reddunt. Ceterùm æger hic cùm ſupradictis remediis vſus eſſet, poſt decimum ſeptimum diem conualeſcere cœpit, & 20. perfectè à febre liberatus, deinde rectè valuit.

SCHOLIA.

MONACHVS hic homo pituitoſus erat, at vſus vino calidiore apud amicos, plurimum bilis coaceruauit, hic in tertianam continuam, ſed minus bilioſam incidit; & ita hæc febris notha erat minusq; pura. hinc etiam diuturnior in viro pituitoſo: & quia bilis magis ſuperabat, licet continuò febricitans, tertio quoque die maiorem exacerbationem habuit. quæ exacerbatio à quibuſdam in humoris naturam refertur: alij verò cauſas acceſsionum & exacerbationum ad motus ſiderum, & lunæ vim reuocant: alij in cæca & occulta humorum proprietate cauſam ponunt: alij ob expultricis facultatis irritationem & humorum coaceruationem fieri volunt. Argenterius autem ad ordinem, quo humores corrumpuntur, vel in aliam permutantur naturam vel quantitatem vel qualitatem, cauſam refert. Ceterùm quod ad hanc febrem tertianam attinet, licet bilem cum pituita mixtam haberet, iis ipſis exiſtentibus in venis vnà cum ſanguine bilioſo, & vrina rubra exiſtente, & cùm tempus vernum eſſet, & febris continua; vncias ſex ſanguinis miſimus, & optimè profuit. deinde concocta materia bilem vnà cum pituita expurgauimus. poſt purgationem & magis in declinatione in decocto iterum præparante adiecimus radices magis apertiuas. quia in febribus tertianis continuis nothis magis aperiendum eſt, quàm in puris, minusq; infrigidantibus vtendum. Quæ

Cauſæ exacerbationis febrium.

Argenterius lib. 3. De cauſ. morb. cap. 6. & 7.

omnia iam dicta iuxta humorem præualentem medicus exercitatus contemperare debet. Cumq́ de febribus continuis tertianis proportionatis atque biliosis satis sermonem habuerimus; nunc ad pituitosas continuas progrediamur.

OBSERVATIO XXXII. DE FEBRE QVOTIDIANA CONTINVA cum variis symptomatis.

HADRIANVS Toorneburchius, vir annorum sexaginta quatuor, alioqui temperatura naturali sanguinea, nunc verò, ratione ætatis, pituitosa. Hic verò in principio hiemis anno 1552. febre quotidiana continua corripi cœpit: quotidie enim sub noctem fiebat exacerbatio, quamuis ad infebricitationem perfectè non perueniret, licet febris vehemens non foret, minusque sentiebatur ob symptomata superuenientia eumq́; magis infestantia, qualia erant dolor capitis, pectoris angustia, tussicula haud contemnenda, atq. catharrus. Cùm ita sex diebus laborasset, neque remedia adhiberet, sed paulo pòst vteretur, opera Alardi Coeltunij medicæ artis studiosi, qui nuper domum ex schola Louaniensi reuersus fuerat. Is cùm præscripsisset decocta, tum alia remedia in principio, postposuit venæ sectionem. Verùm vtrum hæc ipsa in hac febre quotidiana continua conueniat, latius in Scholio Obser. XXXIII. agemus. Paulo pòst & ego ad hunc accitus sum, atque ex signis præsentibus quæ tunc aderat, animaduerti illum febre quotidiana continua laborare, cum qua etiam symptomata non aspernanda adiuncta erant, nempe tussicula, vt diximus, & catharrus salsus, qui & alia accidentia secum posteà attulit, vt

mox dicemus. Cùm autem strictam haberet aluum, medicamentum materiam minorans statim præscripsi sequens. ℞ cassiæ recens extractæ ℥ j. pauco adiecto zaccharo fiat bolus. quo deuorato ter aluum satis copiosè deposuit. Pro catharro & tussi vehementiore, vt linctum sumeret mandaui. ℞ syrupi capill. ven. syr. de liq. ana ℥ ß. diad. frig. in tabul. ʒ j. ß. syr. pap. ad reprimendam salsedinem ℥ ß. misce. interim & saccharum ros. ex aqua ros. & perlis cum zach. confectum subinde etiam sumebat. At difficulter medicamenta in officinis parata homo sui cerebri admittebat. Quare ad materiæ præparationem loco syruporum hoc decocto simplici vtebatur. ℞ rad. cichorij fœniculi liq. rasæ ana ℥ j. scabiosæ, hyssopi, bethonicæ, hordei mundati, ana m. j. vuar. pass. enucleat. ℥ j. se. 4. frig. maior: ana ʒ ß. se. anisi ʒ j. coquebantur hæc ipsa in aqua communi, & hanc colaturam loco iuleb. vel syrupi zach. dulcoratam capiebat. Cùm autem febris eum non relinqueret, symptomata tamen maiorem curationem exigebant, & ideò cùm minus posset dormire, tempora oleo pap. & mandragoræ simul mixtis vt inungeret præcipimus, & vt ad expectorationem ex syrupo de liq. frequenter vteretur, atque pectus sequenti linimento inungeret iussi. ℞ vng. pectoralis ol. amigd. dul. ana ℥ ß. misc. Subinde & hoc electuario vtebatur. ℞ specier. diadrag. frig. trionsand. ana ℈ j. specier. diaireos simplicis ℈ j. ß. specier. diarod. abb. ℈ ß. dissolutis in aq. vngulæ caballinæ ℥ ij. zach. albiss. fiat confectio in tabulis. Ceterùm aliquot diebus intermissis, materia catharralis (febre quotidiana continua permanente, quæ minus sentiebatur) subitò in gulam & linguæ radices è cerebro dilapsa est, cum maximo

maximo eiusdem linguæ tumore & tanta inflatione, vt ilicò suffocari videretur. Pro quo accidente tollendo hoc gargarismo vsi sumus. ℞ aquar. scabiosæ lib. j. ß. aq. caprifolij ℥ j. mellis rof. colati ℥ ij. diamoronis ℥ ß. cassiæ ex cannis tractæ ʒ iij. misce, & fiat gargarismus. quo maximum leuamem sentiebat, multa pituita ex ore defluente, quæ ferè in principio strangulationē induxerat. Tertio gargarismus idem paratus fuit, cum nocte dieque eo vti cogeretur. Libenter iterum leuem purgationem adhibuissem, at noluit admittere, cùm ægrè quoque deglutiret. Gutturi exterius sequens molle cataplasma admouimus. ℞ rad. altheæ mundatæ ℥ j. ß. florum chamomill. meliloti ana m. j. se. altheæ ʒ j. ß. coquantur, in aqua ad mollitudinem, pistentur, addendo farinæ seminis lini fœnigræci ana ℥ ß. ol. chamomill. amigd. dulc. butyri recentis ana q. s. ad cataplasmatis consistentiam. Balano ex pul. specier. hieræ picræ sale & melle confecto, aluum irritauimus. Tandem gargarismo, materia crassa è gutture labente, os melius aperire potuit, & specillo linguam comprimente intus immisso, circa fauces inflammationem esse conspeximus, linguam similiter inflatam & aliquo modo inflammatam. pro quo symptomate depellendo, rursus gargarismum hunc præscripsimus. ℞ aquæ plantag. lib. j. ß. aquæ nucum ℥ ij. diamoronis, mellis rof. colati ana ℥ j. ß. misce. Interea etiam sequenti linctu vtebatur. ℞ syrupi de liquiritia ℥ ij. syr. violacei ʒ j. misce. Colluebat subinde os cum supradicto gargarismo, aquæ viol. ℥ iij. & semine cotoneorum ʒ j. adiectis, ad maiorem refrigerationem semen leuiter ebulliebat, in dicto gargarismo, eoque expresso, gargarissabat, at cùm materia paulò crassior reti-

neretur, hæc subsequentia etiam adiecta fuere. ℞ florum meliloti p.j. hordei communis ℥ j. ficuum pinguium numero v. se. fœnigræci, lini cotoneorum ana ʒ j. fiat decoctio in aqua communi ad lib. j. ß. & præcedenti gargarismo adiiciantur. postmodum ficus fœnigr. semen lini reliquimus, ʒ j ß. seminis cotoneorum tantùm imposita. In exacerbatione febris potus erat decoctum ex hordeo mundato liq. passulis, politrico, capill. veneris. Ceterùm cùm aluum non probè deponeret, medicamentum leuiter purgans hoc modo propinauimus. ℞ cassiæ mundatæ ℥ ß. diacatholici ʒ ij. diaphœnici ʒ j. ß. dissolue cùm ℥ iiij. decoct. suprascripti. quo quatuor secessus habuit copiosos cum maxima alleuiatione, & cessauit linguæ inflatio, tussicula leui adhuc perdurante. ad quam hoc lambitiuo tunc vsi sumus. ℞ syr. capill. ven. de liq. viol. ana ℥ j. zach. penidiorum ℥ ß. misc. In fine huius curationis, cùm hæc febris rarò sit, sine offensione ventriculi & partium naturalium, cùm diu duret. Capiebat subinde ex tabulis infrascriptis. ℞ specier. diarod. abb. ℈ ij. specier. aromatici ros. ℈ j. specier. trionsand. ℈ ß. dissolutis in aqua absynthij zach. albiss. ℥ ij. & ʒ ij. adiectis, fiat elect. in tabulis secundum artem. Exterius quoque stomachum inunximus oleo cotoneorum & maceris simul mixtis. Et tandem symptomatis supradictis curatis, etiam febris eum reliquit. Fueruntque omnes ægritudinis dies viginti quatuor.

SCHOLIA.

De lingua tumefacta hîc nihil dicemus, cùm potius illa declaranda ad particulares affectus reseruabimus, solummodo nunc dicturi de febre quotidiana continua

tinua, quæ ab aliis vocatur latica, barbaro nomine, à practicis vulgaribus, quasi latens dicta: eò quòd hæc febris continua phlegmatica sit longioris spatij, & vniformis continuitatis, caloris febrilis, multum abscondita & latens: & ideò à barbaris latica dicitur. Quidam tamen volunt (vt Sauonarola) *quòd latica sit nomē Arabicum, idem sonans quod continua phlegmatica. At inter quotidianas continuas* (vt Capo de Vacca docebat) *quædam est exquisita, & inter has nonnullæ exquisitæ exactè; aliæ verò nothæ. Verùm illā, quæ ab eo vocatur latica seu latens exquisita, dicit fieri ex pituita insipida seu dulci putrescente in venis. Nothæ verò & non exactæ, ab acida pituita, seu à vitrea, seu à salsa: veluti est causos nothus, quam febrem ad continuam quotidianam notham etiam referre videtur. Quotidiana itaque continua fit ex pituita in venis putrefacta, & vt plurimum in hyeme, & in hominibus otiosis, & in regionibus frigidis, locisq́, humidioribus, & in his præcipuè qui vtuntur cibis viscosis & frigidis. Hæc, inquam, omnia calorem naturalem coarctando impediunt, & ita augent materiam humidam viscosam in membris nutritiuis, atque venis: quæ vbi retēta sunt neque euentantur, neque tales materiæ euacuantur, putrescunt, atque febrem lentam continuam quotidianam inducūt. Quæ etiam senibus frequentior esse solet, ob calorem debilem naturalem. propterea minus mirabimur, hunc senem in hyeme in quotidianam continuam incidisse. Ceterùm cùm humor pituitosus in hac febre in venis putrescit, atque omni die ægrum affligit secundum propriam naturam ipsius humoris, dicitur quidem continua ad differentiam interpolatæ, seu intermittentis. Et hæc ipsa continua sicuti interpolata diuiditur in veram scilicet, quæ fit ex phlegmate naturali putrefacto; & in non veram siue notham, quæ prouenit ex phlegmate non naturali. Notha rursus diuisionem recipit*

Continua febris quotidiana cur latica à barbaris dicta sit.

Causæ.

Continua quotidiana vera & notha.

ſecundum ſpecies phlegmatis non naturalis, vel ex phlegmate ſalſo, vel vitreo & ſic de aliis. Omnem humorem frigidum & humidum in corpore pituitam appellari ſcribit Gal. 2. De diff. febrium. Generatio autem pituitæ eſt ab infirmo calore, cibis pituitoſis, intemperantia vitæ, otio, intempeſtiuis exercitiis, ætate puerili, & ſenili, hyeme, conſtitutione cœli humida. Tria eius genera à Galeno ferè ſtatuuntur: à forti frigiditate, acida: à calore præter naturam, ſalſa: vbi verò leuiter calor affectus eſt, & exigua eſt frigiditas, dulcis & fatua dicitur. Salſa, ſitibundos; acida, famelicos; dulcis, ſomnolentos facit. Acida concoqui debet: ſalſa repurgari: dulcis & fatua, naturæ relinquendæ ſunt, quia facilè in ſanguinem conuertuntur. Fit aliquando vt pituitoſus cibus non coquatur in ventriculo; quod inde generatur, cruditas eſt, non pituita, aut pituita cruda dicitur, quæ appetentiam tollit, inducit faſtidia & pallorem. Humor qui à cerebro per nares emungitur, aut deſtillat in corpus, pituita non eſt, quemadmodum nec humor ille vitioſus & crudus, vnde pruritus, vlceroſus affectus, lepra, ſcabies, & alia huiuſmodi. Saliua ore contenta potius pituita eſt. Vniuerſali nomine hæc omnia ſub pituita habentur. Frigidiſſima & humidiſſima pituitæ ſpecies, quæ vitrea appellatur, ouorum albumini perſimilis, vel vitro fuſo, vehementes dolores infert & quaſi palo fixo impetentes, vbi loco calido, aut laxiori inteſtino impingitur, frigus infert, ſi immota eſt; ſi verò mouetur per ſenſibilia, rigorem, vt acida, commouet. Nam & acoris eſt particeps, vnde ſub acidarum genere ſunt, quæ quidem putrefactæ, ſi leuiter aliquem inuadant, vel ex parte, epialen inferunt. vbi verò magis putreſcunt, præcedit rigor, & febris ſubſequitur. Alia dulcis rigorem non infert. Oportet ergo, cùm de febre pituitoſa agitur, diligenter animaduertere, in quo genere pituitæ febris incenditur. Nam ex eo

Tria genera pituitæ à Galeno ſtatuuntur.

Pituita vitrea.

& cu-

& curandi ratio euariat, & præsagium certius instituitur. Græci ferè (vt idem censebat Capo de Vacca) in genere de febre quotidiana scripserunt. Arabum familia eam plenius distinxerunt. Et ita quo ad differentias sunt eædem quæ proponuntur in quotidiana intermittente tam exquisita, quàm notha. propterea quod ad continuam quotidianam attinet, licet ex iisdem causis proueniat, vt intermittens, & vtraque longa sit, hæc ipsa magis virtutem grauans & continuò affligit, licet sit lenta & occulta, vt hectica est, & cum tali continua afflictione corpus calefacit & exsiccat & arefacit, ob defectum digestionis, vnde etiam exercitati hæsitant de eius essentia, vt hecticam esse putent. Differt tamen hæc ipsa ab ipsa hectica, cum in hectica sit pulsus durus, subtilis, strictus, & siccus: in latica verò vel continua quotidiana pulsus est mollis & latus. Hectica quoque semper procedit eodem tenore, quamuis post assumptum cibum aliqualiter æger incalescat: in hac autem circa principium noctis siue cibum assumpserit seu non, fit exacerbatio, & circa mediam noctem fit maior inflammatio. In hectica quoque cutis est arida, rugosa, sicca, & aspera: in hac verò mollis, lenis, & minimè tensa. Quamobrem diligenter erit circumspiciendum, ne decipiamur interdum, sicuti plerique medici in praxi minus exercitati, & vulgares decipiuntur, qui interdum credunt esse febrem hecticam, & tamen est pituitosa, & procedunt cum refrigerantibus & humectantibus, & ægrotantes deducunt ad hydropem. Præterea in latica ventriculus maximè afficitur, & dum cibus sumitur, opprimitur, atque symptomata ingrauescunt. Causæ etiam præcedentes considerandæ, nunquid in aëre calido ac sicco æger versatus fuerit, atque cibis calfacientibus & exsiccantibus vsus, numquid exercitium vehemens præcesserit, tum ira aliiq; animi affectus exsiccantes, ex quibus hectica magis oritur.

Differentia inter hecticam & continuã quotidianam.

Contra si æger moram traxerit in aëre frigido & cibis frigidioribus vsus fuerit, ac in otio vitam consumpserit, ex istis tum aliis similibus signis colligendum erit, potius febrem esse pituitosam. Vbi igitur quotidiana inceperit continua, exacerbationis ordine circuituq́; internoscetur: quia sine frigore aut horrore exacuitur, mitescitq́; nullo sudore, & quotidie exacerbatur, & putredinis quidem notæ adsunt, sed admodum obscuræ, neque pulsus ea celeritate, frequentia aut inæqualitate digitos ferit, atque in aliis continuis. Neque vrina æquè flammea aut rubra est, vt in aliis febribus continuò affligentibus, etiamsi fortè crassior sit, neque tantùm premit symptomatum sæuitia. Ad hæc laborãtis habitus & natura, & victus antecedens, & qualis habeatur sanguis, ostendunt & qualis hinc nata sit febris. Est itaque hæc febris, primò absque frigore & interpolatione, potissimum verò hora phlegmatis, hoc est, circa occasum solis, magis affligens, facies magna ex parte est tumida, inflata, sitis exigua, aut nulla, nausea, destructio appetitus, vomitus pituitosus, pulsus paruus, mollis, tardus, & inæqualis; & quandoque debilis, nonnunquam & fortis; exspiratio est maior inspiratione; systoles quoque est velocior diastole, lentè affligit cum pauca quiete, & immodica est eorum caliditas respectu febrium continuarum biliosarum. Et signa eius sunt, signa interpolatæ seu intermittentis, præterquàm quòd horripilatio (vt barbari practici loquuntur) non est cum ea periodicè quemadmodum neque in aliis febribus continuis. Sed est velut similitudo horripilationis (vt dicebat Bertrutius professor quondam Bononiensis in suo collectorio) in corpore ex sua diminuta calfactione, & non est in ea sudor, nisi fortè apud statum cùm fit crisis, sed est cum ea vomitus & solutio phlegmatica ante crisim, similiter & post crisim, aut statum. Et ita signa continuæ quotidianæ propria secundum

Signa demonstratiua continuæ quotidianæ.

Differentia inter febrem & continuam quotidianam.

dum Auicennam, etiã signa sunt periodicæ ex parte vrinæ, egestionis, tactus, caloris, & eiusmodi. Et dicitur pro magna sui parte, quoniam hæc non dimittit, nec falsam habet quietem, vt periodica. Vnde continuò affligit, magis circa occasum solis, vt dictum est, & differt à conclusa, quæ vniformiter ægrum exagitat: quia hæc declinat manifestè, & exacerbationem manifestam habet. Secundum signum est, quod in primis paroxysmis principij vniuersalis fiunt rigor, frigus, horripilatio positiuè: quia eo tempore materia est frigida, & cùm mouetur communicat frigiditatem suam membris sensibilibus, verùm in processu remittitur, cùm materia iam magis accendatur & calefiat. Contrarium fit in periodica. Tertium signum est, quod typus in periodica est longior, quàm continua: in hac enim paruus est in principio & apparet quædam leuis extremorum membrorum frigiditas, præcipuè pedum & nasi & aurium, aliquando & digitorum, manuum extremitates frigescunt, sed minus quàm in periodica. Propterea dicebat Gilbertus, quod continua phlegmatica facit motum in horis phlegmatis, sine typo. Et Guilhelmus Placentinus etiam dixit, absque rigore aut horrore. est enim proprium continuarum non horrere. Signa itaque quæ à substantialiter inhærentibus sumuntur, sunt illa quæ à caliditate capiuntur, quæ si tangitur, rorida est. Ab actione læsa, vt pulsus tardus, inæqualis, mollis, laxus, sitis exigua, aut nulla, nisi ex phlegmate salso fuerit. à qualitate mutata, cutis (vti diximus) mollis est, & facies tumida. Ab accidentibus capitis grauitas adest, stupor & similia: sicut garrulitas est signum bilis, sic taciturnitas melancholiæ, & stupor pituitæ. Et ita de aliis signis ratiocinandum erit, vt latius de febre intermittente dicetur. & quemadmodum hæc ex naturali phlegmate proueniunt, ita à non naturali ex speciebus pituitæ similiter diligenter colligenda erunt, qualia de intermittentibus

Ex Auicenna & Sauonarola.

Signa prognostica quotidianæ continuæ.

tentibus referentur. Hæc eadem maximè ad signa prognostica faciunt, quanquam continua ceteris paribus periculosior est intermittente, & præcipuè illa quæ ex salsa pituita fit, quàm quæ ex bile; non ratione accidentium semper, sed quia longior & difficilioris curationis: præterea vrina in febre quotidiana continua seu latica, subtilis in substantia, pauca in quantitate, in principio cum aliis malis signis, vt alienatione, vigiliis, debilitate appetitus, difficili respiratione cum virtute debili, mortem propinquam significat. Si autem ex subtili crassior, & multa euadat in statu, vel paulo antè, cum bonis aliis signis, salutem decernit. verùm vrina ampullosa, turbulenta, confusa in hac febre subinde lethargum aut carum minatur, præsertim si æger valdè somnolentus fuerit. Solet enim in augmento in hac febre lethargus, teste Rhase, euenire; quemadmodum noster in praxi obseruauimus. Quòd idem Bertrutius de vrinis ampullosis, turbulentis annotauit, in somnolentis præcipuè, si circa caput frigidi sint, ideò subitò succurrendum ait ligationibus extremorum, fortibus frictionibus, balanis & clysteribus acutis, ad somnum inhibendum donec materia auertatur. vrinæ igitur hic diligenter inspiciendæ, quæ si conturbatæ appareant instar subiugalium, capitis dolor tunc adest vel aderit: quibus etiam sedimina veluti farina crassior, febrem diuturniorem significant. Si quantitas vrinæ maior solito, ac crassior, si rigoris verò diminutio, & caloris augmentum, accessionisq; anticipatio, materiam fore concoctam arguunt, & per consequens eiusdem euacuationem, febremq; citius terminaturam notant. Est autem febris hæc admodum diuturna, ita vt quibusdam ante quadragesimum diem non finiatur. Extenditur aliquando ad sexaginta dies, nisi materia exigua, pluresue euacuationes spontaneæ febrem breuiorem reddant, & ideò eius principium durat frequenter vsq. in vigesimum diem, sæpe

tota

tota febris ad 64. dies extenditur, aliquando ad ſex menſes ægrum fatigat. Solent autem eiuſmodi febres diuturnæ ſeu chronicæ, continuæ phlegmaticæ, quemadmodum & quartanæ continuæ (licet valdè rariores ſint) magna ex parte cum reſolutione terminari, aut euacuatur in eis paulatim materia vnaquaque die critica per fluxum ventris, vomitum aut ſudorem, non vna quidem expulſione, ſed per vices. Vomitus quoque & alui profluuium vt plurimum accidunt à principio, in fine verò poſt coctionem ſudor. In omni febre chronica, ſeu diuturna continua; ſi virtus fuerit debilis ſtatim ab initio, vel appetitus deiectio adſit, lethale: quoniam deficiet in via antequam ad ſtatum perueniat. Et ideò materia exiſtente craſſa, cruda, viſcoſa, tempore admodum frigido & humido, ætate & temperatura pituitoſis, paroxyſmo longo, nullo aut pauco ſudore apparente, ſtomacho debili, appetitu proſtrato, ſomno profundo, virtute prolapſa, quæ ſi adfuerint, ægrum periturum denuntiant: oppoſita ſalutem ſignificant: mediocria verò, medio modo ſe habent. Poteſt autem hæc febris continua quotidiana per ſe incipere, vel alteri ſuccedere, vt euenit mulieri quæ ex tertiana continua licet notha, in continuam quotidianam incidit, quæ etiam poſtea ad hydropem aſcitim peruenit, quam deinde mors ſubſecuta eſt: quamuis frequentius in hypoſarcham tranſmutetur, vt Rhaſes prædixit, præcipuè ſi videamus corruptionem formæ, vt exemplo ſequenti manifeſtius euadet.

OBSERVATIO XXXIII. DE FEBRE QVOTIDIANA CONTINVA in hydropem tranſmutata.

FILIA cereuiſiarij illius, qui propè portam Haghanam Delphis habitabat, annorum ſeptem nata, febre continua quotidiana cùm aliquot diebus labo-

laboraſſet, ac remedia quædam ad rem minimè facientia fruſtra tentata eſſent. Cùm ad eandem acciti eſſemus in fine Septembris, tempore humido ac frigido exiſtente, colorem faciei cùm animaduerteremus liueſcere, ac palpebras intumeſcere, pedeſque circa talos in tumorem attolli, ventre valdè prominente & ad tactum renitente, hydropem & propriè hypoſarcham futuram prædiximus, niſi ilicò remediis ad hydropem conferentibus vteremur. præterea & de vermibus ſuſpicionem habuimus, cùm puellula fructibus horariis valdè crudis, tum vuis non ſatis maturis anteà in copia vſa fuerat. Huic cùm aluum non deponeret, vt ex hoc ſequenti ſyrupo longo cochlear vnum atq; alterum ſumeret mandaui. ℞ rad. ireos ebul. ana ʒ iij. agrimoniæ cuſcutæ bethonicæ ceterach. ana m.ß.ſe. aniſi ʒ j.ß. carthami contuſi ʒ iij. folior.ſene ʒ vj.polipod.querc.℥ ß.vuar. paſſ.enucleat. ℥ j. liquiritiæ raſæ ʒ iij. fiat decoctio in aqua communi pro ℥ viij. colaturæ adde ſyrupi de eupatorio de cichor. nicolai cum rhabarb. ana ℥ j. zach. q. ſ. pro ſapore delectabiliori, fiat apozema ad modum ſyrupi longi. ex quo omni manè cùm accepiſſet cochlear vnum atque alterum, aluum egregiè depoſuit, aquoſa & pituitoſa & quædam bilioſa corrupta, vnà cum vermibus deiecit. atque ventre hoc ſequente vnguento inuncto, miraculi inſtar, conualuit, vt aliis remediis vti opus non fuit. ℞ ſucci ebuli ſambuci ana ℥ j. vng. agrippæ ℥ ij. coquantur ad conſumptionem ſucci & fiat linimẽtum pro ventre.

SCHOLIA.

SOLET *autem ſtomachus in hac febre plurimum debilitari, cùm ſit lacuna phlegmatis, & ad huius debilitatem, mox ſequitur hepatis debilitas & obſtructio, hinc infirmi*

ferrei cachexiam primò incurrũt, deinde ad hydropem perueniunt. Præterea cùm in hac febre continua phlegma putrefactum quandoque aduratur, & in melancholicam materiam conuertatur, quæ ad splenem perueniens dolorem eidem infert & inflationem, quandoque etiam duritiem & deinde aliquando quartanam, vti euenit alteri mulieri Delphensi, quæ tamen à me curata fuit magna cum molestia. Si autem paroxysmus incipit cum multis oscitationibus, & stupore quodam (vt quondam Typographo Delphis *accidit) ac somni profunditate, facieḿq; tumidam decumbens habuerit cum quodam liuore, facillimè in carum vel subeth incidet æger, nisi statim medicus remediis aptis succurrat. Permutatur hæc quoque febris in hecticam, vel cum eadem quandoque commiscetur: quare si facies pallida, citrina, macilenta, oculi concaui euadant, cutisq; veluti corium siccum, tendatur, & arida fiat, in hecticam transire, vel transiisse constat (quemadmodum contigit mulieri nobili, à qua etiam extincta est) vel hecticam cum quotidiana continua mixtam esse, vt de febribus compositis exemplum adferemus, si Deus nos superstites faciat: omnis enim febris chronica perdurans, hecticam tandem inducit, si dispositio materiam vicerit: si super dispositionem dominetur materia, ad hydropen conuertitur.* Febris continua quotidiana in quos morbos facilè cõuertatur.

Iam etiam in febre continua quotidiana, quemadmodum & in aliis, si limositates in dentibus fiant, febrem diuturniorem ac fortiorem præsagiunt. Dentium autem & linguæ muccositas, materiam in stomacho plurimam, & viscosam coaceruatam esse notat. In quacumque etiam febre continua quotidiana sudor citius magisq; copiosè apparuerit, ceteris paribus citius terminatur: signum enim est quod materia sit obediens resolutioni, quodq; non adsit magna meatuum obstructio, vel constrictio. Hæc de signis prognosticis sufficiunt, reliqua ab intermittentibus mutuanda, Hippo. lib. 4. aphor. 53.

tuanda, quæ suo loco dicentur. interim de curatione febris continuæ quotidianæ etiam hæc addamus, quæ maximam quoque similitudinem habet cum curatione febris quotidianæ intermittentis, quo ad remedia & victus rationem: in hoc tamen differens, secundum Auicennam, quod victus debeat esse tenuior, quàm in interpolata: interea tamen non multum subtilis ac tenuis, eò quòd longior reliquis continuis existat. Secundò minus calida conferunt in continua. Et ideò si caput sit debile, vel consuetus sit æger incurrere dolores capitis, aut morbos capitis, à vino abstinere debet, atque eius loco Auicenna exhibet aquam mellis. Quod ad digestionem attinet, alterationem, ventrisq; lenitionem, à debili remedio ad fortius procedit idem Auicenna: vt à syrupo acetoso simplici, ad compositum, cùm aquis aperitiuis, prius debilibus ad magis incidentes. Et cùm videt ægritudinem minui, auget victus rationem. cibi quoque & carnes sunt alterandi cum rebus acidis. Et quò ad euacuationes, & ad ea quæ vrinam & sudores prouocant, à debilioribus idem progreditur ad fortiora. Vt autem magis particularius procedamus, in hac itaque febre, cùm humor putrescit intra venas, victus ratio in hac sit tenuior quàm in intermittente, minusq; ad calidum & siccum inclinans, neque vino, neque odoramentis vtatur æger: quamuis debilibus lymphatum, si diutius duret, concedemus, & melius post statum, modò capitis dolores abfuerint. cibus exhibeatur, quo tempore minus æger affligitur: id quidem tempus accuratè obseruandum. Materiæ itaque communis eductio, tum etiam materiæ propriæ diminutio, concoctio, eradicatio, fiant vt de febre intermittente tradetur; aucta in syrupis concoquentibus syrupi intybi satiui latioris quantitate. In conditis quoque specier. diarod. abb. & conser. rosaceæ quantitas augeatur. Sed præ omnibus obseruandum, vt æger victu

Curatio cõtinuæ quotidianæ.

roborante

roborante vtatur, antequam vires labantur ob longitudinem morbi; deinde vt stomachus confortetur, ne is deficiat atque appetitus pereat. Nam abstinentia, vel potus postpositio, mortem infert, vt Antonius ille Gradus cap. proprio optimè dicebat. præterea diligenter delectum habere oportet in remediis, quæ materiam digerunt & euacuant, & quæ roborant: omnia hæc immutanda iuxta speciem pituitæ, quæ hanc febrem intulerit, quæ, inquam, lucidiora euadent ex iis quæ dicentur de febribus pituitosis intermittentibus. Si igitur hecticam metuamus, cum iis quoque sunt componenda quæ hecticæ simul resistant. Si hydropem, carum vel lethargum timemus, etiam iis resistere maximè oportet, quæ illos affectus tollant antequàm eueniant. Quod si autem in principio vocemur, tunc etiam circumspiciendum, num venæ sectio conueniat, cùm respectu solius materiæ pituitosæ (vt de febribus intermittentibus pituitosis latius explicabimus) nequaquam conuenire videatur: tamen vt absolutè cum auctoribus probatis dicamus, plus expedit in continua, quàm in intermittente: quia materia in venis existit, & talis erat canon Auic. cap. De curatione febris continuæ quartanæ. Magis quoque prodest iuxta Sauonarolam, si febris fit ex phlegmate dulci, in qua magis consulitur, reliquis indicationibus ad sectionem venæ requisitis consentientibus. Rogerius non solùm in hac, sed etiã in ea quæ fit à phlegmate salso, similiter commendat sanguine redundante, ac magis in corpore carnoso & pleno. Sic & Guilhelmus Placentinus practicus egregius, vt alij omnes, cùm materia intra venas existat, sanguinis detractionem laudant. Quibus & accedit auctoritas Galeni 11. method. cap. 15. sic dicente: optimum est, venam incidere, non solùm in synochis, sed etiam in aliis febribus, quæ ex humorum putredine sunt. Nam si in periodicis id faciunt, quid in iis agendum cùm materia intra venas Venæ sectio.

consistat. Fuit & hæc sententia Oribasij. Sed hîc videndum num & vires consentiant. quare in priore ægro nempe sene, cùm tardius vocaremur, & debilior esset eo tempore; vena secta non fuit: neque in hac secunda ægra, vbi & ætas & vires non admittebant, licet in sene bonæ temperaturæ ab initio rectè conuenisset, quemadmodum & in aliis, quibus plethora aderat, frequenter commodè venam in similibus secare iussimus. Vbi igitur in principio acciti fuerimus, si aluus non respondeat, hoc vel simili pharmaco minorante aut leniente vti possumus. ℞ *elect. lenitiui vel cassiæ recens extractæ* ℥ j. *elect. Ind.* ʒ j. *fiat bolus cum zach. vel dissoluatur cum* ℥ iij. *decoctionis communis. & detur hora minoris afflictionis. Vel si pituita multa, vt sæpius fieri solet, in intestinis hæreat, ante venæ sectionem vel statim post, conuenit clysterem iniicere, cui emolliendi & detergendi vis insit. vt hoc modo.* ℞ *maluæ, mercurialis, parietariæ, bethæ ana m. j. caulium rubr. m. ß. passul. enucleatarum, ficuum ana paria xij. se. anisi fœniculi ana* ʒ j. ß. *florum chamomill. hordei integri ana p. j. fiat decoctio in aqua communi pro lib. j. in qua colatura dissol. mellis rosati colati, sacchari rubei ana* ℥ j. ß. *cassiæ pro clysteribus* ℥ ß. *succi bethæ* ℥ j. *salis communis* ʒ j. ß. *ol. chamomill.* ℥ iij. *misce, fiat clyster: qui primò iniici potest. At progressu temporis, sunt qui addant aliquid agarici vel medullæ seminis carthami, si aluus nimis astricta est, etiam* ʒ ij. *diaphœnici, quod vacuationi pituitæ aptius sit, relinquendo benedictam, vel hyeram picram, cum hæc plus æquo calfaciant. Circa statum cautius est agendum, præsertim si suspicium est, de alui profluuio, quo febris hæc non rarò soluitur: tunc igitur cauendum ab acri clysteri post medicamentum minorans, & venæ sectionem (vbi conueniat, conuenit autem magis, vt dictum est, in continuis) humor coquendus est moderatè detergentibus, incidentibus*

Pharmacum minorans.

Enema.

Humoris concoctio.

dentibus & aperientibus: & quia magna putredo subest, vnde calor plurimum augetur, vtendum refrigerantibus. Detergunt mel rosaceum hydromel. incidunt & aperiunt oximel simplex & compositum, syrupus acetosus simplex, de bizantiis, & syrupis capill. ven. His admiscentur cum magnus est calor, syrupus endiuiæ simplex & compositus. Ante vsum syruporum materia est minuenda, duobus à phlebotomia diebus interiectis. vel primò vt dictum est adhibeantur clysteres. Deinde cùm soleat hæc febris esse longior, non statim à phlebotomia purgatio conuenit, ne continuis motibus subitò & repentè factis, nimium humores agitentur. Potest autem pro purgatione in decocto ad pituitam parato, vel catholicum, vel aliquid diaphœnici misceri. Vel detur ℥j. diacatholici, diaphœnici ʒj. vel ij. aut indi maioris. Vel fiat decoctum quod pituitam præparet & simul euacuet addendo aliquid agarici. Catholicum quoque licet ducendæ bili proprium sit, vt Rondeletius sentiebat, mixto cum decocto aliquo tenuante & incidente pituitam quoque purgat. Veteres post oximel simplex & compositum cum aquis ad pituitam destinatis, vel huic febri magis propriis, turpetho vtebantur, deinde stomachum roborabant cum diarod. abbatis. Deinde decoctum hysopi, fœniculi, & vuarum passularum dabant. Syrupus autem rosaceus solutiuus hic per se inutilis est, sed cum infusione aut decocto agarici vel seminis carthami, anisi, vel foliorum senæ, vel fœniculi, pituitam purgat. Idem præstat, si cum syrupo aperiente misceatur. Vt ℞ syrupi rosacei solutiui, vel laxatiui ℥ij. syrupi de bizantiis ℥j. misce. Hæc verò medicamenta quanquam maximè conueniant in quotidiana intermittente, tamen & horum vsus est aliquis in continua. Et quia hæc febris longior est, ego vti soleo decoctis longioribus, quæ & materiam præparent & paulatim educant. Oportet enim sæpius digerere, Purgatio.

gerere & euacuare, semper habendo respectum tam ad calorem febrilem, quàm ad materiam peccantem. Et quia in hac febre ventriculus, intestina, & venæ mesaraicæ copiam pituitosi excrementi congerunt, quod repurgari debet; tum vt natura ad vincendum morbum expeditior sit, tum ne excrementum vi medicamentorum in venas retrahatur, & inde obstructiones augeantur. Ceterùm *primis diebus magis detergentibus vtemur, deinde aperientibus, & rursum in declinatione detergẽtibus, vel his tunc medicamentum purgans datur, vt dissecta materia & præparata vacuetur. Detergentia quæ sunt in viis ductuum, & si quid vim actionemq; medicamentorum effugerit, detergent. Aperientia pituitam crassam, quæ in venis est, tenuant & incidunt atque sudores eliciunt. Ad detergendum Rondeletius hoc vtitur. ℞ mellis ros. colati vel mellis violacei ℥ ij. syrupi capill. ven. ℥ ß. aquæ hordei graminis vel asparagi ℥ iiij. fiat iuleb. Ad incidendum. ℞ syrupi acetosi simplicis vel de bizantiis vel oximellis simplicis ℥ ij. cum aqua graminis primùm, deinde cũ aqua apij petros. ℥ iiij. vel v. fiat iuleb. Si calor magnus est, prædictis syrupis admisceantur syrupi endiuiæ simplicis, & aquæ refrigerantes. vt hoc modo. ℞ oximellis simplicis ℥ j. ß. syr. de endiuia simplici ℥ ß. aquæ graminis, endiuiæ, cichoreæ ana ℥ ij. fiat iuleb. Vbi concocta est materia, sæpè vi naturæ morbus vincitur, & vt plurimum copiosioribus sudoribus, vel fluxu ventris soluitur, qui nec concoquentibus, nec soluentibus vinci potest. Si autem non soluatur, tunc denuò danda est purgatio, aut decoctum longum purgans. Quidam in fine dant pilulas alephanginas, quas reualescentibus, vt maturius reficiantur exhibent, addendo aliqua refrigerantia, quæ caliditatem aromatum refrenare possent. At euacuatio phlegmagogis perficitur, vt in quotidiana intermittente, sed minus calidis. Deinde stomachus*

corro-

corroborandus, ac membra nutritiua, eo modo, quo in intermittente fieri solet, modò frigidis, modò stypticis, prout materia postularit, vel ipsa dispositio. In fine quoque vrina prouocanda, sed non ita calidis, vt in intermittente. Si etiam adsit vomitus, iuuandus est cum leuioribus remediis. Interim accidentibus præcipuè erit succurrendum. Si enim lethargus timeatur, cerebrum statim à principio corroborare oportet stypticis, & temperatè calefacientibus, & humores auertendi sunt cum clysteribus, glandibus, frictionibus. eodem modo de caro imminente: quæ ex propriis locis sunt colligenda. Si metus sit de cachexia, vel hydrope, iisdem affectibus tempori succurrendum, modò frigidis, modò calidis, prout febris & dispositio indicent. Propterea tirones (vt anteà admonuimus) circumspecti esse debent in curatione huius febris, quemadmodum & aliarum quæ diuturnæ sunt, cum facilè cachexiam adferant, à qua enascentes morbi ineuitabiles sunt, vtputa aqua intercus, aut phtisis, aut eliquatio. Nam in eiusmodi febribus diuturnis, sicuti in omnibus longinquis morbis (vt rectè dicebat Aretæus Cappadox medicus *antiquissimus) dilatio medelæ mala est: nam ob cunctationem in vitia insanabilia prolabuntur. Inflatio sanè ita habet, vt non facilè recedat, si semel inuaserit: at si diutius protrahitur, temporis spatio vires acquirit: & nonnunquam euenit vt commoriatur. Exiguos quoque morbos maiores excipiunt: cumq; priores discrimine vacarent, eorum soboles perniciosa exoritur. Itaque nullo pacto ægrotum silere conuenit, ne morbus deprehendatur, erubescentem, neque aufugere vim curationis metuentem, neque medicum pigrum esse ignauumq; oportet: vtrumque enim non morbum insanabilem efficiendum consentit. Nonnulli autem sunt ægroti, qui præsentium, nec non & futurorum ignoratione ad finem vsque cum morbo degunt. Nam plerique neque pereunt, neque*

Proœmio cap. 1. De morborum diuturnorum curatione.

futuram mortem suspicantur: quocirca neque se medici fidei committunt. Horum probatio ex quartana continua colligitur, de qua nunc sermonem instituemus.

OBSERVATIO XXXIIII. DE FEBRE QVARTANA CONTINVA.

THEODORVS de Wael, vir Nobilis, Ambacherus in Heyloë, vnum & sexagesimum annum agens, anno 1550. die 26. Nouembris, cùm alicui ecclesiasticum beneficium in animo distribuere proposuerat, fortè socrus eius præueniens, in alterum præter eius mentem contulit, vnde melancholicus factus, alioqui vir constans & hilaris, in febrem quartanam continuam incidit, in fine autumni melancholico humore magis vigente. Hæc verò signa illi aderant, vigiliæ, somnia terribilia, linguæ asperitas & siccitas, ventris constipatio insignis. Inceperat autem febris sine rigore, & sine horrore, calorque lentus apparebat, licet continuus, quarto tamen die aliquo modo inualescens, pulsus ab initio tardus, in statu paulò velocior. Vrina primis diebus citrina, postea nigrior euasit, continuam quartanam licet febrem valdè lentam, & obscuram esse intelleximus. Ad hunc vnà cum Iohanne Gallo medico Harlemensi acciti, ad castellum Colsterium dictum, in quo decumbebat, lenitiuum sequens præscripsimus. ℞ diacatholiconis ʒ vj. confectionis hamech. ʒ ij. diaprunis simplicis ʒ j. ß. aquæ borag. ℥ iij. syrupi viol. ℥ j. misce, fiat haustus. & detur in aurora ieiuno stomacho, quo aluus optimè respondit. altero die etiam minoris exacerbationis venam lienarem in brachio sinistro secare fecimus, & sanguinis

guinis vncias sex fluere, qui sanguis vtcunque niger & crassus erat. Iuleb. deinde quoque ebibit. ℞ syrupi viol. de end. ana ℥ j. syr. capill. ven. de epithymo ana ℥ ß. aquar. fumariæ, buglossæ, borag. ana ℥ iij. misce & singulis diebus in aurora ad tres dies bibat. Rursus die minoris exacerbationis purgationem sequentem propinauimus. ℞ diacathol. ʒ vj. confectionis hamech. diaphiniconis (ob pituitam admixtam hieme instante in sene) ana ʒ j. agarici trocis. ℈ j. aquæ vngulæ caballinæ (quia parum tussiebat) aquæ bethonicæ (ob capitis dolorem, qui aderat) aquæ borag. ana ℥ j. misce. ter multa excrementa partim pituitosa partim melãcholica deposuit. postea ex iulebo sequenti bis in die capiebat. ℞ syr. capill. ven. syr. viol. mellis ros. colati ana ℥ j. syr. de end. è stechad. ana ℥ ß. aquar. vngulæ caballinæ. fœniculi, bethonicæ ana ℥ iij. aquæ fumariæ, borag. ana ℥ j. ß. misce & cinnamomo exiguo adiecto fiat ad modum clareti. Postea nullo modo excreuit nisi solutiuis medicamentis assumptis. vnde hoc enema iniectum fuit. ℞ folior. viol. malue parietariæ, fumariæ buglos. mercurialis ana m. j. folliculorum sen. ʒ vj. prunor. damas. numero xv. vuar. pass. enucle. ℥ j. florum chamomill. p. j. sem. anisi ʒ j. se. 4. frig. maior. ana ʒ j. ß. coquantur in sero lactis. & huius colaturæ accipe lib. j. addendo cassiæ mund. pro clysteribus ℥ j. diacathol. ℥ ß. ol. amigd. dulc. viol. ana ℥ j. ß. salis communis ʒ j. ß. misce. ab eo iniecto bis aluum deposuit interim vtebatur decoctis melancholiam præparantibus & euacuantibus, adiectis foliis sen. epithymo & similibus, quibus & syrupi de pomis, de epithymo postea addebantur. mox & conditis ex conser. viol. borag. bugloss. nim-

pheæ ſpeciebus diad. frig. & diamarag. frig. adiectis. Præterea cùm ob varias imaginationes melancholicas ſubtriſtes dormire non poſſet, id quod ſequitur ſub noctem exhibuimus. ℞ ſyr. pap. ℥ j. ſyr. viol. nimpheæ ana ʒ ij. aquæ lactucæ ℥ ij. aq. nimpheæ borag. ana ℥ ß. miſce. Denuò ad decocta longa & ſimul purgantia deuenimus, poſt ſex ſeptimanas febre eundem relinquente, ita tamen vt totus melancholicus manſerit: ad quam melancholiam depellendam, cùm aluus ei perpetuò ſicca & ſtricta maneret, multa machinati ſumus; modò clyſteres, modò decocta longa & purgantia, modò condita, paſtaſque regales dictas, cùm vires morbi longitudine ſuccumberent, & alia innumera remedia ad melancholiam deſtinata, & tandem etiam hanc confectionem magiſtralem in officina vna parari mandauimus. ℞ flor. borag. anthos ana m. j. conſeruæ florum viol. borag. anthos ana ℥ j. ß. rad. bugloſſæ optimè mundatæ quar. j. croci ℈ iiij. ſyr. lætificantis gal. ʒ j. foliorum auri puriſſimi foliorum argenti non fictitij ana numero ij. miuæ cotoneorum ℥ iiij. vini albi odoriferi antiquiſſimi, lib. iiij. ſtent infuſa, prius bene piſta ac commixta, per diem naturalem & mittantur in fimum equinum per vij. dies: demum coquantur in duplici vaſe aut balneo maris, per horas quatuor vel plures: poſteà diligentiſſimè colentur per laneum pannum, atque vſui in vitrea ampulla ſeruetur. Ex eo manè dimidium cochlear aliquando ſumebat, cùm liber à febre eſſet, & non amplius rediret. in eodem ſtatu melancholicus permanens vino bugloſſato, ex radice in eo contuſa, aliquando vtebatur, aſſumptis ſubinde tribus pilulis ex maſſa ſequenti paratis, ad melancholiam confir-

matam exstirpandam. ℞ hyeræ picræ epithymi ana ʒ ij. lapidis lazuli præparati, agar. elect. ana ʒ j. ſcammoniæ ʒ ß. cariophil. gr. x. diligenter omnia terantur quàm ſubtiliſſimè & cum ſyr. cotoneorum & corticibus citri, fiat maſſa pilularum. Etiam hac deſtillatione vſi ſumus, à leonello multimorba appellata, cùm eam expertus fuerit, in omnibus morbis melancholicis, in palpitatione cordis, ac in mala intemperie ventriculi & capitis. ℞ flor. anthos borag. rad. bugloſſ. an. ℥ iiij. croci ʒ j. miuæ cidoniorum trientem, vini albi meraci limpidi bene defecati & optimi lib. ij. miſce & ſtent ſimul infuſa, prius piſta, per diem naturalem; deinde mittantur in fimo per ſemimenſem, in vaſe vitreo, bene occluſo: deinde deſtillentur per alembicum duabus vel tribus vicibus. ſeruetur in argentea lagenula. doſis ℥ j. febricitantibus nullo modo danda, at nobilis hic non amplius febricitabat, quæ illum nunc per menſem reliquerat, licet adhuc adeò melancholia obrueretur, vt cibum amplius nec potum ſumere vellet, niſi precibus ad hoc inductus. Et cùm non dormiret, ad ſomnum conciliandum id quod ſequitur præſcriptum eſt. ℞ croci, opij, myrrhæ, hyoſciami albi, corticum mandrag. ana ℈ j. conficiantur cum ſucco lactucæ trociſci ſecundum artem. vno diſſoluto, vbi opus erat in lacte muliebri aut oui albumine, tempora ſub noctem inungebantur. fiebant quoque lotiones pedum ad diuerſionem & ſomnum incitandum. ℞ florum cordial. meliloti ana m. iij. melliſſæ, fumiterræ, bethonicæ ana m. j. calicum pap. vnà cum ſemine numero v. ſe. anethi ʒ iij. coquantur in aqua communi pro lib. v. Verùm aucta melancholia in ſene, magis magiſque impos mentis factus eſt, neque

amplius mihi, aut Gallo medico obsequi voluit. ita vt fucis, eo ignorante, homini inter curandum imponere coacti simus, cum nulla remedia amplius admitteret, impositis simplicibus laxantibus in cereuisia, epithymo, sene, & polipodio, ac similibus, leui facta ebullitione, qua vtebatur ad aluum laxandam. tandem percepit in cereuisia sua quam quotidie ita laxantem bibebat, dolum subesse, vt ab omnibus cogebamur remediis desistere. Deinde suo more viuens intra duodecim septimanas & tres dies aluum non excreuit, quod ipse vix crederem, nisi vidissem: quam historiam cum aliquando Antonio Harwero medico Haghano insigni narrassem, inquit ille, Hac in re tibi non haberem fidem, nisi veracem te cognoscerem. At ægrotus hic, quod dictu mirabile fuit, vxor eius matrona nobilissima, mihi scripsit, quod tertio die Aprilis secessum per se habuisset, cui cùm rescriberem vt illius rationem haberet, eundem mox conualiturum vel moriturum esse, & 25. die Aprilis mortuus est, cùm tribus mensibus & tribus diebus aluum non deposuisset, neque ante à 26. die Nouembris vsque in tertium Aprilis nunquam sponte aluum deiecerat, nisi clysteribus, decoctis lenientibus, lenitiuis & purgantibus medicamentis adiutus. At lotium eius per totum morbi decursum erat turbulentum, crassum tamquam feces aliquando inhæsissent.

SCHOLIA.

IOHANNES *Langius Medicus ille doctissimus refert, lib. 2. epist. 27. Puellam Spirensem, triennalem inediam sustinuisse, & nihil excrementorum eo tempore nec per aluum nec vesicam excreuisse. At noster ægrotus hic melancholicus licet à quartana continua restitutus, melancholia illi*

Puella Spirensis triennalem inediam sustinuit.

illi adhæsit. Postea à medicamentis abstinens, tribus mensibus & tribus diebus ne tantillum per aluum excreuit, per vesicam tamen pauca, crassa, eaq; nigra minxit. Eo autem tempore, poma quidem assata, & prima cocta comedit, alium cibum sicciorem abhorrebat: postremò autem vix bibebat, nisi cereuisiam consuetam, metuebat ne famuli illum deciperent, cùm prius clam, nostro iussu, medicamenta laxantia in cereuisia decocta forent. Narrat Nicolus Florentinus, se vidisse filiam M. Sacci de Scarperia, ab ipsa die qua concepisset, vsque ad 45. diem per aluum nihil excreuisse, neque medicamentis lenientibus, neque violentis, neque clysteribus quamuis acutis, neque emplastris, vnctionibus, neque solutiuis, cùm tamen multum comederit, biberit, & veluti sana permanserit, & tandem tempore debito pepererit filiam. Rhases quoque vidit mulierem quandam paraliticam, cuius venter constipatus erat per mensem vnum, quamuis venter sanorum non constipetur per quinque dies, sed emittitur de eis substantia sicca. Medicus tamen senior Delphius, qui ad templum nouum habitabat, vt mihi retulit probus sanè, qui nisi octauo vel septimo quoque die prius aluum deponebat, hic tamen ex leui apoplexia in paralysim incidens, à qua mediocriter curatus, senex tamen postea subitò obiit. Impossibile tamen est (teste Auic.) ventrem diù constipari, quin infletur, & magnificetur, & non diu post interficit. Hic tamen nobilis ex longa fecium retentione non habuit ventrem inflatum, nec subitò mortuus est, sed post tres menses, & tres dies, cùm feces restrictæ spontè exonerabantur: tunc prius mortuus est. Cùm hunc casum Hughoni Nieuenio medico Haghano narrarem, referebat se ægrotum habuisse qui per sex menses aluum non deposuerat, nisi globulo plumbeo rotundo deglutito suo pondere dilabente tandem aluum solutam esse, globulo vnà cum fecibus exeunte, & ita ægrum

Historia mirabilis De stypticitate ventris. Sermone 5. cap. 37. De cura stypticitatis ventris.

Cap. De cholica.

præter

præter opinionem conualuiſſe, quod ego vix crediderim: verùm iſtis omiſsis ad quartanam continuam redeamus, quæ raro per ſe incipit cùm potius conſequitur alias febres continuas & propriè acutas: magna ex parte fit à ſanguine melancholico, vel infecto multa melancholia in maſſa ſanguinis relicta ob lienem infirmum vel obſtructum. Hæc *autem ſi ſola quantitate peccat, icterum nigrum, ſi putreſcat, febrem inducit. At hæc melancholia augetur ingeſtis cibis craſsioribus, melancholicis, metu, triſtitia longa præcedente, ſolicitudine, tempore autumni, in ſenibus, vt in hoc nobili viro euenit. Et quamuis quartana continua admodum raro cõtingat, vt omnes referunt auctores; hæc ipſa tamen ex humore melancholico coarctato & putrefacto intra venas contingere poteſt, differtq́; ab intermittente, licet ab eadem materia fiat: in continua non fit interpolatio, neque frigus, horror, aut horripilatio, verùm de quarto in quartum diem magis exacerbatur; licet non omnino intermittat, ſed duobus diebus ſeſe remittat, non tamen omnino ſine febre: quia continua ſecundum humoris propriam naturam, & fit quemadmodum intermittens à melancholia naturali vel non naturali intra vaſa putreſcente.*

Cauſæ quartanæ continuæ.

Eadem cauſæ in vtriſq; locum habent ſecundum magis & minus valentiores fuerint, ita & ſigna, præterquam quod in continuis non fiat horror, aut frigus: quamuis in eius principio aliquando retracto calore apparet in extremitatibus frigus, quod tamen eſt abſque rigore, & exacerbatur de quarto in quartum diem: (vt dictum eſt) tepeſcit in aliis diebus, habetq́; 24. horas in ſummo labore, & 48. in falſa quiete. Reliqua cum proportione reſpondent: pulſus quidem initio paruus, tardus, & occultus, poſtea magnus, plenus, & celerior quàm in intermittente, & in ſtatu magis intenditur. Calor *febrilis primò lentus, mox continuus, ſitis adeſt vehementior, ſubinde lingua aſperior cum ſiccitate*

Signa continuæ quartanæ.

tate. Sed hæc omnia variantur iuxta ſpeciem melancholiæ. à naturali, ſi victus præceſſerit melancholicus, regio ſit frigida & ſicca, tempus autumnale, ætas ſenilis. à ſanguinea melancholia, vt habitus craſſus, bona conſtitutio corporis, victus ſanguinem generans, oris dulcedo, ſitis modica, ſomnus grauior, aër, tempus anni, regio, hæc inquam ad calidum & humidum inclinatia, pulſus præcedenti latior, vrina rufa, vel ſubrufa cum obſcuritate quadam & craßitie, æger minimè iracundus. àननbilioſa verò melancholia, febris bilioſa præcedens, victus ratio adurens, horror, ſitis, ſudor, vigiliæ calor, furorq́ue, eruntq́ue ſymptomata intenſiora, quibus accedit regio, tempus anni, aër ad calidum & ſiccum inclinantia, temperies bilioſa, vrina intenſa, citrina, rufa ſubrufa, tenuis, pulſus velocior. idem de melancholia pituitoſa coniectandum, ſi hæc aderunt, temperatura pituitoſa, febris phlegmatica præcedens, tempusq́ue anni, regio, aër, & reliqua omnia frigida, victus frigidus præcedens, æger dum incipit incaleſcere iterum frigidior euadens, & ob materiæ viſcoſitatem paroxyſmi longiores fiunt, ſudorq́ue tardior eſt, & variatio quidem in pulſu cum quadam mollitie aderit, vrina craßior, minus intenſa, ſitis exigua, ſomnus grauis. Ex quibus dictis facilè ſpeciem quartanæ colligemus, cuius cauſa curatio etiam varianda erit.

OBSERVATIO XXXV. DE CONTINVA QVARTANA, vnà cum tabe & hectica.

CVM autem quartana continua lentum habeat calorem, vehementer tamen corpori profundè inſertum, quemadmodum & hectica, quare maximè cauendum ne in eam tranſmutetur, ſi in eam non tranſierit, quamuis quartana continua multò periculoſior,

losior semper sit intermittente, vt plurimum sit salubris, modò apud ægrum, neque medicum, aut astantes error committatur. Solet quandoque cum hectica commisceri, ita vt quarto die videatur hectica febris præter consuetudinem exacerbari. quamuis hoc rarissimè contingit, & si eueniat, plerumque tunc lethalis est. hoc nos aliquando vnà cum Henrico Vergrico medico Haghano doctissimo in proba matrona, vxore Iohannis Pynson, obseruauimus, quæ in ædibus Domini de Wassenars in Hagha Comitis decumbebat; quæ cùm per aliquot menses decubuisset tandem vera tabe, pulmoneque exulcerato è vita discessit. cui & hectica febris aderat, quæ quarto die ingrauescere solebat, etiam sumpto cibo ob hecticam mixtam cum febre continua quartana. Verùm postea hectica magis quartanam superante, amplius quarto die non exacerbabatur, verùm lentè continuò affligente præcipuè ab assumpto cibo, in magna copia pus quotidie exspuente, atque hectica longo tempore sola ingrauescente, tandem post multa & varia remedia adhibita frustra, macie extremè consumpta periit.

SCHOLIA.

Prognostica continuæ quartanæ.

CONTINVÆ *quartanæ minus tutæ intermittentibus, imò maximè periculosæ: cùm enim istæ febres pendeant ex humore frigido & sicco, ex humore satis naturæ aduersante, quotiescunque aliqua ex parte hic succus infrà incipiat, ilicò extra venas propellitur, non aliam ob causam quàm propter inimicitiam quæ est inter humorem & naturam, quæ calido & humido conseruatur; cui hic siccus valdè aduersatur: & propterea optimè dixit Galenus 2. De diff. feb. cap. 2. vbi materia in venis retineatur,*

non

non ſit citra periculum ægri: non tamen ſemper eſt lethalis, interim valdè periculoſa, neque tuta, quanquam eadem ſigna prognoſtica habeat, quæ intermittens, huc transferri poſſunt. At videbimus ſæpius quartanas intermittentes, continuas rariſsimè, quæ etiam ceteris paribus (vt iam dictum eſt) intermittentibus deteriores ſunt, quamuis citius terminantur, licet teſte Arnoldo de Villa-Noua multoties in quadrageſimum diem extenduntur, neque tunc tenuiori diæta inſiſtēdum, cùm ſit ægritudo chronica. Si ad hecticam inclinet, maxime necem infert, vt nunc oſtendimus. Ex iſtis iam dictis conſtat indicationes curandi eaſdem eſſe cum intermittentibus, quanquam in continua minus expleri poſſent, neque tam facilè ſalutem prædicemus, quamuis non ſemper ſit lethalis. Præterea licet hæc magnam ſimilitudinem curationis habeat cum intermittente, ab huius tamen curatione nonnihil variatur. nam hæc quæ continua eſt, multò diligentius curanda erit, reſpectu etiam diuerſitatum, quæ in materia melancholica eſſe poſſunt, vt in Scholio præcedente latius oſtendimus. Secundò, quia virtutem magis lædit & proſternit. Tertiò, cùm cauſa eius antecedens & coniuncta ſit in venis ipſis, & ceteris paribus, ſanguis quoque in ea magis ebullit. Differt quoque curatio ex parte diætæ: quæ in continua tenuior eſſe debet, nam hæc breuior intermittente, & quo ad ſymptomata, vehementior, & virtutem plus grauans quàm intermittens. ideò non tam citò carnes dabimus in continua vt intermittente: quia intermittens poſſet habere multas criſes: continua tantùm vnam, cùm materia ſit in venis ſtimulans virtutem, & ideò quo ad ſtatum attinet, oportet diuerſimodè victum inſtituere. in hac quoque frigidiora magis, minus verò calida adminiſtrabimus, exempli cauſa, ſi vino vtendum, magis limphandum quàm in intermittente: imò ſæpe etiam in totum à vino cogimur abſtinere, & ſic

Curatio continuæ quartanæ.

carnes

carnes cum frigidis appropriatis alterabimus. eodem modo coniectandum de aliis rebus naturalibus ad frigidum magis inclinantibus. Præterea quo ad alia remedia, ex parte lenitionis ventris, digestionis, euacuationis (vt summatim rem complectamur) conueniunt in continua lenitiua magis lenia, quàm acuta, ita & de clysteribus & glandibus sentiendum. De digerentibus verò à debilioribus ad fortiora solent auctores procedere, verbi gratia, à syrupo acetoso in materia biliosa, ad oximel. primo addendo se. frig. aperitiua, postea calida ac radices aperitiuas, iisdem addentes quæ melancholiam respiciunt, vt epithymum. ita & euacuantia debiliora esse debent quàm in intermittente, alterantia quoque & roborantia frigidiora, vel remissè calida, & magis in continua humectationi studendum. In

Venæ sectio. *hac quoque non minus quàm in aliis continuis febribus conuenit sanguinis detractio, aluo prius subducta.* Hanc *enim necessariam dicebat Auic. cùm sanguis feruescens communiter melancholiæ commixtus sit, & per phlebotomiam tractioni paratior fiat, & cùm materia sit in venis, statim ab initio vena secanda: quia minus inducias dat hæc febris. si reliqua indicia mittendi sanguinis adsint, sanguis ab initio mitti potest, superfluitatibus communibus primò per glandem aut clysterem eductis, aut potione aliqua leniente. præstantiores medici hîc eligunt venam sinistri brachij lienarem, quæ magis consentit lieni, cùm hîc maxima pars materiæ collecta sit: alij verò ex saluatella sinistræ manus: mulieribus autem ex saphena, modò non sint grauidæ, & menses restricti sint, ac causam præbeant melancholici humoris. Misso sanguine, duobus aut tribus diebus interpositis, cùm hæc febris in multos dies extenditur, neque perinde acuta est vt reliquæ continuæ, dandum*

Medicamentum leniens. *est aliquod medicamentum leniens, vt cassia, catholicon cum decocto mercurialis, vel sero lactis, vel decocto passul. polipod.*

polipod. sennæ & aliis humorem melancholicum respicientibus, ratione semper habita ad speciem melancholiæ, quæ febrem infert. Ad alterandum verò & concoquendum valent syrupi humectantes leniter & refrigerantes, vel temperati in calido & frigido. Refrigerant & humectant syr. viol. lactucæ, portulacæ. Temperati sunt syr. de borag. de buglossa. Vtimur præterea syrupo de fumaria simplici, vel de acetos. citri si magnus est ardor. Addimus & aquas eiusdem facultatis, vt viol. portulacæ, cucurbitæ, bugloss. borag. & in biliosis naturis, cicoreæ, end. Si ex adusta bile generata est melancholia, conuenit syr. de end. simplex, & compositus. Sed compositis non est vtendum ante humorem ex parte coctum. Aboali filius primò dabat syr. acetosum, deinde oximel simplex cum aq. end. scariolæ, buglossæ, vel cum earundem herbarum decocto, additis seminibus cucurbitæ, melonis, & similibus. Solutiua sint primò lenia, ex cassia, catholico, sene, postea adiecta confectione hamech. vel dentur decocta simul præparantia & euacuantia melancholiam, ex curatione quartanæ intermittentis collecta, tamen minus calida, vt dictum est, humectantia non negligendo, quæq; siccitatem melancholiæ contemperant. Si ventrem mouere non velimus, sed tantum alterare, & digerere, abstinebimus potius tunc à syrupis laxantibus, quorum vis tunc obtunditur, & si ventrem non mouent, plus officiunt quàm prosunt. At postea cùm hæc febris diuturnior sit, post euacuationes aliquas factas, possumus tunc vti magis laxantibus & syrupis compositis, vt de fumoterra, de pomis, de epithymo tales quoque magis purgant post iniectum clysterem. & vbi aluus restricta est, quarto quoque die repetere oportet. Non desunt qui etiam hîc vtuntur vng. & emplastris solutiuis supra ventrem & vmbilicum, quorum copiam habes apud Villo-Nouanum cap. proprio De feb. continua quartana. Id quoque memoriæ

Syrupi alterantes & cõcoquentes.

Arnoldus de Villa-Noua, lib. 4. breuiarij cap. 31 De feb. quartana.

commendandum vt à mitioribus, ad fortiora deueniamus ob materiam melancholicam eductioni rebellem, & si cum bile misceatur, quæ facilius educitur, neque tunc adeò fortibus vtemur. Guainerius post vniuersales euacuationes materia quoque prius cocta prouocat hæmorrhoides, cùm hæc materia commodè per illas vias repurgetur. idem præstat sanguisuigæ circa anum appositæ sanguine fecali, à venis hæmorrhoidalibus extracto, vel per menses in mulieribus si astricti sint, modò non sint macilentæ, nec hecticæ laborent, in quibus hic sanguis consumptus est. Alij autem in fine calidioribus procedunt vrinam & sudorem elicientibus, quæ tamen remissè calida esse debent, respectu eorum, quæ in febre intermittente adhibeantur. Exempli gratia, pro hac febre exstirpanda in fine aut declinatione, si demus in febre intermittente ℥ j. theriacæ, hic dabimus ℈ j. aut ℈ j. ß. & ita de aliis. Sed & hoc notatu dignum erit. cùm hæc febris continua adeò grauis est & periculosa, vt ægri vix mortem euadant, ideò magna diligentia adhibenda in conseruandis ac fouendis viribus, vt vino exiguo, atque diluto restaurantibus & conditis ex cons. bugloss. borag. viol. cap. ven. corticibus citri, pul. diamarg. frig. de gemmis, vel potionibus cordialibus, ex confectione alchermes, aq. viol. borag. syr. viol. adiectis. Si vigiliæ vrgeant, syrup. nymphea pap. vtendum. Cibus vt dictum est, hic sit parcior, vel saltem mediocris, neque condiatur calidis, vt in intermittente, neque salsis, aut vino in hac audacter vtendum. Postquam omnes nunc continuas proportionatas febres absoluerimus, nunc ad symptomaticas quasdam dictas explicandas accedamus, quæ etiam continuæ sunt.

Condita.

OBSER-

OBSERVATIO XXXVI. DE FEBRE LIPYRIA LETHALI.

PVELLA Delphia annos 22. nata, robusta, cereuisiarij famula, die 26. Octobris anno 1562. à meridie subitò febre correpta fuit. Huic autē membra extrema frigebant, interiora verò vrebantur, dolor in eodem loco non diu persistens, primò sinistrum humerum occupauit, mox ad scapulam, deinde ad latus peruenit ac tandem ad ventrem inferiorem, & præcordia inuasit. Ad hanc sub noctem vocatus fui, & repperi eam valdè sitibundam esse, licet lingua adeò arida non foret, erantque omnia membra externa hominis demortui instar exsanguia, ac frigida, intus autem ex calore suffocabatur, ac perpetuò bibebat sine intermissione. Cùm autem nobis narrasset principium huius mali, ilicò materiam venenosam esse ac furiosam, & turgentem iudicabam, cum subitò ex sinistro humero, mox ad scapulam demum ad sinistrum hypochondrium (vnde astantes primò pleuritidem esse iudicabant) descenderat, deinde ad stomachum, præcordia, & inferiorem ventrem, vbi malum hæsit. Pulsus huic concidebat, & paruus erat, quid multis? lipyriam ego febrem, ex genere ardentium perniciosarum, & quasi pestilentium ex materia venenosa esse iudicabam, frigore enim in extremis membris ita permanente, eam febrem statim lethalem esse pronuntiaui, iuxta aphor. 48. Hippoc. lib. 4. In febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores vruntur, & sitim habeat, lethale est. Hæc omnia iam dicta in hac puella erant. Cùm igitur materia venenosa, turgens, mobilisque esset, de vna parte in aliam cum

maxima angustia in ventre & stomacho: ilicò ob sitim dedi cyathum vnum ptisanæ ex hordeo mundato & glycyriza confectæ, scilicet ℥ iij. syr. ex infus. ros. & de cichor. Nicoli cum rhabar. ana ℥ ß. Valet enim hic syrupus Nicoli, contra omnem materiam venenosam tam in alterando quàm in mundificando, etiam in febre pestilenti, vt annotauit Valerius Cordus. Ceterùm cùm materia versus ventrem inferiorem reperet, vt gladem iniicerent astantes mandaui, qua aluus soluta scuibalas duras excreuit, nonnulla quoque euomente, ptisanam tamen supradictam cum syrupis retinente. Mane cùm rediissem, erat in eodem statu, & noctem insomnem egerat ex dolore præcordiorum ac ventris, ita intestina lancinante, vt ea ex materia venenosa perforari viderentur. leniens itaque medicamentum præscribo, cùm eò ducere oportet, quò natura vergat, vt senex noster Hippocrates docuit, cùm etiam materia turgente in principio magis conueniat euacuatio, venæ sectione in lipyria minus conueniente, pulsu concidente ac debili existente. etsi venæ sectio conuenisset, materia communis prius educenda erat. ideò lenitiuum medicamentum exhibui, cùm solutiua in lipyria nequaquam conueniant. ℞. folior. sene ʒ ij. bulliant in decoct. communi, & huius colaturæ accipe ℥ iij. cassiæ recens tractæ ʒ ij. diaprunis simplicis ʒ j. ß. syrupi borag. (ob debilitatem) ℥ ß. misce. At post horam euomuit totum cum modica bilis portione, quamuis à meridie cùm rediissem semel induratas feces ac scuibalas deiecerat. Clysterem non audebam immittere, cùm ilicò omnia in peius vergerent, dolore stomachum & ventrem magis magisq. infestante, quanquam reppererim stomachum seu ventri-

ventriculum (quem exterius tangebam) moderatè calidum, pulsationem non sentiebam, qualis inflammationis propria nota est. membra tamen externa manebant frigida, & calor internus exurebat puellam, vt impensè biberet cereuisiam frigidã: quæ tamen maximè nocet, cùm & alij ex vehementi siti laborantes, valdè bibentes perierint, vt Gal. 4. De accidente & morbo cap. 7. obseruauit: vnde & potum illum cereuisiæ valdè frigidum inhibui. Nam memini ex eiusmodi frequenti potu frigido, alios quoque subitò extinctos esse. Vehementi enim siti laborantes, quatuor accidentium periculum à potione subire solent. Vnum & quidem primum, vomitus est. Alterum velox per aluum excretio, aut fluore aut intestinorũ leuitate facilè corripiuntur. Tertium quod potus sæpenumero diutius quàm par est, in ventriculo manet. Quartum, diabetem, siue dipsacon, siue vrinæ fluorem inducit. Cùm igitur potus in stomacho permanens & circa præcordia hærens, maiorem angustiam inferret, vel vomitu continuò expelleretur, viresque magis deiicerentur, sitim nullo modo extinguens, illum frigidum potum quantum potui inhibui. Lotium autem huius non vidi, cùm ab initio morbi vrinam non reddidisset. Et quamuis hæc siti æstuaret, lingua minimè sicca spectabatur, quod mirum quidem videri posset, nisi ex continuo potu fuisset humectata, sitim tamen in ventriculo vrente non extinguente. Ptisanam loco cereuisiæ pro siti bibendam concessi, cum hæc melius descenderit. Interim mandaui tam pro materia venenosa quàm siti, vt cochlear vnum aliquando sumeret ex syrupis de limonibus & acetositate citri simul mixtis: sed immorigera per totam noctem sequẽtem auidè cereui-

ſiam bibit, ac tandem continuò ferè vomuit bilioſa, æruginea, dolore æquè hærente circa præcordia, & ſic tota nocte vomitu, ac cereuiſiæ potu fatigata, mane hora quinta aluus quoque per ſe adeò ſoluta eſt, vt bilem ſinceram continuò excreuerit, vomitu ceſſante, at aluo ſemper citatiore permanente: & cum à potu cereuiſiæ frigidæ abſtinere minimè vellet, poſtremò crudam cereuiſiam per ventrem exonerauit. Summo manè rurſus me vocarũt, at extremis membris frigidè perſiſtentibus, cumque pulſum manu ad carpum iniecta non ſentirem, quique ſubinde concidebat, & ſeſe intermittebat, mortem inſtare prædixi, curamque ſacerdotibus eſſe relictam. cereuiſiario verò tum vxori vrgentibus quid morbi eſſet, cùm reſpondiſſem ex genere peſtilentium febrium eſſe, nempe lipyriam, eamque lethalem, puellam ilicò ab ædibus ablegandam cenſebant, me dehortante minimè in moribunda conſultum eſſe, ſi ad ædes maternas vel vicinos transferrent, ob fluxum vehementiorem inter manus deferentium facilè expirare poſſe, cùm in cubiculum inferius à ſuperiori transferebatur animi deliquium incurrebat, ita vt animam agere videbatur, niſi illam extremè frigentem & exſanguem apud ignem eo tempore collocaſſem, vt calor ad exteriora ſubitò deduceretur. Nam pedes manuſque exſanguia erant, nec vllo modo caleſcere potuere, cum ex illo motu aluum deponeret rurſus. Vnde imperaui vt partes ſuperiores fricarent ad ſpirituum & caloris reuocationem. In alui enim & vteri ac infernarum partium magnis fluxionibus, extremitates ſuperiores ligandæ ſunt & fricandæ, tum brachia ac manus, vbi deorſum humoris fertur impetus, vt in hæmorrhoidum quoque & vteri

vteri ac alui fluxionibus ad humoris reuocationem. vbi verò vomitus est vel sanguinis narium profluuium vehemens, tum pedes ac inferiora fricari debent, aut fœmora ligari. Frictio autem manuum conueniebat etiam si istud deliquium animi ex inflammatione aliqua internarum partium quoque originem habuisset. Solent enim subinde viscerum internarum partium inflammationes, malignas febres excitare, vt in febre lipyria, in quibus per accessionum initia, & post etiam externæ partes, ita refrigerantur, intrò reuocato calore, & sanguine, vt in scholio sequenti latius declarabimus, vt anima plerumque deficiat: quod cum accidit, fricandæ, calfaciendæ ac vinculis stringendæ sunt extremæ partes, vt foras resiliant spiritus & humores: insuper & vigiliæ sunt imperandæ, quæ calorem & sanguinem ad exteriora reuocando febrem ac inflammationem augeri prohibent. Cibus potusque in totum denegantur, ne materiam augendæ inflammationi suggerant. Optimum autem, in his quid futurum sit prænosse, & commemorata remedia ante febris accessionem efficere. At nostra hæc ægrota ex calore ignis & frictionibus, ex puppula aromate, nuce myristica, cariophillis infarta, vinoque immersa, pro odorato naribus admota, ad se paulatim rediit. Verùm postea me tamen dissuadente in viciniam translata, vix sacramentis à sacerdotibus adhibitis paulo pòst expirauit, ex febre lipyria ante tertium diem completum. Ad necem violentam tum subitaneam maximè iuuasse puto continuam illam cereuisiæ frigidæ ingurgitationem, & propterea Aëtium in curatione lipyricæ rectè dixisse puto, multum potum cumque frigidum in eiusmodi febribus perniciosis

plurimum nocere: ita memini cùm adhuc Alcmariæ praxim exercerem Theodorum Iohannem Gheertrudis Bartholdi cognatæ meæ maritum, in platea Aggere dicta commorantem, subitò febre enecatum fuisse, cum impẽsè sitiret, ac præter rationem cereuisiam recentem frigidamque bibisset, qui secundo die vix morbo apparente ita extinctus est, cùm nocte præcedente nescio quot congios cereuisiæ ingurgitasset: illoque mortuo corpus liuidum & plumbeum spectabatur, ita vt à multis peste absumptus æstimaretur. Verisimile autem fuit hunc similiter ex febre lipyria lethali è vita discessisse.

SCHOLIA.

Lipyria Arabum.

QVÆ sit febris lipyria non satis inter medicos conuenit, cum & Arabes lipyriam quoque esse volunt ex phlegmate vitreo, quam isti sicuti & hepialam de genere quotidianarum intermittentium esse prædicant, vt latius dicturi sumus libro sequenti de febribus intermittentibus.

Lipyria Græcorum.

at nunc sermo noster est de lipyria febre Græcorum, quæ ad continuam refertur malignam & symptomaticam. Galenus eam in eo genere reponit, in quo propter magnitudinem internæ inflammationis, & malignitatem humorum interna ardent, extrema refrigerantur, id quod in medijs corporis inflammationibus contingit. Nam internus calor, ad instar cucurbitulæ calorem externarum partium intro

Finitionibus Galeni adscriptis.

attrahit. Et sic lipyria est, ea febris, in qua extrema & superficies refrigerantur, vritur profundum, excretiones detinentur, aspera sitientibus lingua est, pulsus paruus at-

Notæ. Galenus De inæquali intẽperie ca. 8. comment. 4. aphor. 48.

que obscurus: quasi calor intro se receperit, & est ardentium febrium perniciosum genus. Et ob hoc animaduersione dignum dicebat Gal. nunquid huiusmodi casus possint fieri in feb. intermittente, vt partes exteriores sint frigidæ, interio-

interiores verò vrantur: quod se nunquam vidisse, animo concepisse. nam id solummodo in febribus, quæ causones ab incendio nominantur, perniciosis, malignißimis, veluti lipyriis euenire affirmat, nullamq́; febrem aliam vrere cute refrigerata. Causa *verò huius talis existit: quando aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori, vel erysipelas euenerit: totus ex toto corpore sanguis ad locum trahitur patiētem, atque adeò vruntur profunda, cutis autem refrigeratur, vt fit in principiis acceßionum. Aëtius lipyriam vocat quæ sequitur erysipelas ventriculi. Et ita constat hanc febrem esse symptomaticam, vt Leononus quoque annotauit, eò quòd sequatur internas inflammationes: quæ cum corde vel vicinitate, vel consensu per arterias putrem fumum communicare possunt: veluti pleuritis, phrenitis, peripneumonia, cynancho, & iecoris aut lienis inflammatio.* Febres *lipyriæ sunt pituitosæ, malignæ, & lethales. Verùm Arabes longè ab hac diuersam febrem lipyriam faciunt, vt paulo antè diximus, atque causam in pituitam crassam & viscidam, aut in eiusmodi bilem collectam in primis venis & calorem vnà cum vaporibus suffocantem coniiciunt, ne videlicet calor dispergatur in corpus, causam faciunt huius febris. Alia quoque parum verisimilia de hac febre prodiderunt.* Ceterùm *lipyria Græcorum, de qua nunc tractamus, primùm quidem phlebotomia (quamuis Aëtius de ea mentionem non facit) vt optimè etiam Holerius imperat, curatur. Verùm in nostra ægra ob vomitus illos crebros, & secessus continuos eo tempore sectionem venæ aggredi non fuimus ausi tum ob vires deiectas & animi deliquium. Post venæ sectionem modò conueniat, vsu refrigerantium maximè curatur, eodem Aëtio auctore, qui neq. venæ sectionis meminit, vti & Leononus, & alij quidam auctores. Iuxta Donatum eadem est huius febris vt ardentis dignotio, prognosticum, & curatio, particularibus*

Causa.

Lib.5.cap.88

Præsagia.

Curatio.

ribus tamen indicationibus desumptis, tum ab inflammatione, quæ cum putredine copulata est, seu erysipelate in his febribus, tum etiam à parte affecta, in qua talis genita est inflammatio, seu erysipelas. Admonet contra Neapolitanos medicos in hac febre abstinendum esse ab illa confectione à mesue Alchermes dicta. Particularius verò curatur per frigidorum & humidorum intus assumptionem, & forinsecus appositionem. Cibus. *Cibus verò sit, cremor ptisanæ, cucurbita, pepones, endiuia, lactucæ pura frigida elota: atque sic quidem acceptæ optimæ sunt: si verò opus fuerit aliquando ad preces ægrorum, insuauitatem ipsarum mitigare, acetum multæ aqua frigidæ admixtum ad intinctum concedemus.* Potus. *Ante vigorem frigida non est danda, nisi ab ægroto cogamur, cui mos sit frigidam bibere, & qui sitim non ferat. In vigore autem frigida contentiosa vtendum (sic autem appellare solemus cum semel frigidissimam & multam damus.)* Balneum. *Balneum non ratione febris, sed ipsius inflammationis denegatur. Forinsecus ipsæ lactucæ succus aptus est, imò etiam semperuiui, intybi, portulacæ, atriplicis, solani, plantaginis, ac vuarum acerbarum cum pane sicco trito & modico rosaceo, & his quæ similiter resiccant.* Quæ forinsecus applicantur. *℞ succi semperuiui, plantaginis, portulacæ, vuar. acerbarum ana p. æ. farinæ hordei q. s. ad faciendum cataplasma liquidissimum, misce; idq́ duplici linteolo infarctum præcordiis impone, ibiq́ immorari sinito donec tepidum factum fuerit. postea tolle, ac alterum appone, sicq́ vicissim, donec æger sentiat profunditatem quodammodo refrigeratam & à siti liberetur. Hæc post venæ sectionem ab Holerio commendantur. Si verò erysipelas phlegmonodes circa præcordia fuerit, etiam oleum omphacinum & rosaceum admiscere poteris.* Historia Aëtij de lipyria feb. lib. 5. cap. 88. *Aëtius casum narrat notatu dignum in lipyria febre, quem hic vtilem apponendum censemus. Viseram (inquit) olim mulierem voce intercepta*

cepta supinam solo recubantem, pulsu formicarum motum imitante, manibus pedibusq; algefactis. Putaui morbum hunc esse calidum: nam præter eas perniciosissimas notas, deprehendi quoque anhelitum crebriorem, insignis anxietatis & calidioris ægritudinis ilia aut thoraces obsidentis indicium. ferebatur ab aliquo astantium, audiuisse se exclamantem mulierem stomachum sibi incendio torqueri, gelidæq; potandæ ingenti desiderio tabescere, vnde & pauimenti frigiditatem iacens attrectando quæritabat. Hinc ego capta fiducia si gelidæ cochleare bis ac ter in os violentè iniiciens percepi aquam sensim labiis arentibus attrahi, atque inde colligens ob igneum in ventriculo inhærentem affectum, frigidam planè appeti, ilicò vberius propinaui: confestim oculis annuere, indicare, ita fieri oportere. Tunc ego diacodium cum cuidio vino frigida diluto in os infudi, nec multo postea cum iam sensim mussitaret, plusculum potus exhibui vini suauis pro cuidio frigidæ mixto, illeuiq; os ventriculi sedo & lactuca cum pane trito & rosaceo, frigentiaq; applicaui ob morbi caliditatem, & quòd æstas adesset, donec ægra frigiditatem perciperet. Hæc de febre lipyria Græcorum, nunc de febre typhode dicta huic non dissimili exemplum adiiciamus.

OBSERVATIO XXXVII.

DE FEBRE TYPHODE.

IVVENIS Leydanus filius Iohannis Rossemij lanionis, malo viuendi genere tum victu pessimo vsus, tum vino liberaliore, cumque in publicis ludis diaboli laruati personam ageret, hinc inde cursitando incaluit, multoque magis cùm copiosè claretum (vinum Hippocraticum vulgo vocat) ingurgitasset, canicula vrente, anno 1562. in febrem ardentem, mox

mox in typhodem febrem dictam, hepate erysipelate infecto, incidit. Eo tempore ad hunc accitus fuit quidam pharmacopæus, qui medicinam exercebat cum multorum admiratione, eorum tamen qui stultè apothecarios pro medicis habent, quibus satis est vt officinam bene instruant. Hic autem cùm parum tritus in curatione febris ardentis esset, ac paulò negligentior, eundem subinde tantùm inuisendo & tandem febre increscente & fortè non probis adhibitis remediis, febris illa non bene curata fuit, imò in hepatis apostema transiit. Febre quidem non desinente, licet malum protractum sit ad sex septimanas, tunc prius pater huius ægri decumbentis me vocauit, apostemate iocinoris iam confirmato, quod secundum omnes medicos illustres, incurabile est. Cumque ad eum peruenissem, iam macie consumptus erat ex nimio & intolerabili dolore hypochondrij dextri, quem statim ab initio mali perpessus erat. repperi tumorem, qui exterius se manifestabat, quem pharmacopæus medicinam factitans, ne attigerat quidem, vt æger tunc mihi narrabat, tantum abest vt eum animaduerterit, qui sic ægrum hactenus enormi dolore conflictatum & incuratum ad tempus reliquerat, quamuis videret miserum ægrotantem in dies vehementiore dolore pessum iri. Lingua autem huic cum ad eum primò venissem, erat sicca, aspera, arida, & nigra, sitis vehementior illum vrgebat, erántque hæc omnia tum calor febrilis (vt ex sermone ægri intelligebam) ab initio morbi vehementissima, & adeò sæuissima, vt sese præ calore continere non posset, ita vt non dubitandum fuerit ex omnibus signis quæ adfuisse narrabat æger, hanc febrem typhodem fuisse, quamuis sex septimanis nunc

nunc præteritis febris magis lenta foret, ob eryſipelas vel inflammationem iocinoris malè ab initio à pharmacopola, non autem medico curatam. Cùm autem malum hoc incurabile eſſe animaduerterem, neque aliquis medicus doctus ægrotanti perpetuò adeſſet, Hubertum eius vrbis medicum vnà vocari iuſſi, cùm diu apud ægrum permanere non poteram. Communi itaque conſilio, fomenta, emplaſtra mollificantia, interim & hepati robur addentia, doloremque mitigantia, vt fieri debebat, adhibuimus. Quarto autẽ die noſtræ vocationis, poſtquàm duos ferè menſes decubuiſſet (prius vocatus cum extremè laboraret) ſub inferioribus coſtis, è regione hepatis, percepimus maturum eſſe apoſtema, quod ſcalpello exterius ſtatim aperiendum eſſe propoſuimus, vt ſi fortè illud ipſum in velamine hepatis eſſet, æger liberari poſſet, ſi verò in hepatis ſubſtantia eſſet, impoſſibile, vt tunc curari poſſit. At cùm valdè debilis æger exiſteret, ne inter manus chirurgi periret, dum fieret apertio, tutius eſſe ſentiebat Hubertus id per ruptorium quàm inciſionem fieri, quanquam citius per ſcalpellum aperiretur abſque minore dolore, licet ob vulgi tamen calumniam eius opinionem pro hoc tempore ſecuti ſumus. Accito igitur chirurgo, ruptorium ex capitello impoſitum eſt deſcriptione Montani conſultatione 113. quod intra duas horas eſcharam abſque dolore faciebat. componitur autem ex cinere ficuum aut quercuum aut ſarmentorum, fabarum & fit ad ſpiſſitudinem coctum lixiuium, quod exſiccatur, additur deinde calx viua. Quanquam optimam faceret operationem & eſcharam, tamen cùm protraheretur tempus antequam ea excideret, propterea vt iuuenem citius à dolore, &

copia puris liberaremus, potius abſceſſum adhuc ſcalpello aperiendum eſſe duximus, facto tamen prius prognoſtico, quod æger moreretur, ſi apoſtema in ſubſtantia hepatis conſiſteret, ne etiam nos negligentiæ incuſarent, quod minus citò aperuiſſemus, cuius cauſa æger mortẽ incurriſſet. Scalpello dextrè leuiterque abſceſſus per chirurgum apertus eſt. Primò quidem effluxit quaſi pus album, ſed non valdè copioſum, neque dolor mitigatus eſt, quod peſſimum erat ſignum, eoque peius cum altero die ſubſequenti, etiam per inferiora excreuerit purulenta, putida, corrupta, malè olentia atque fœtida, quæ decernebant apoſtema ad ſubſtantiam hepatis perueniſſe. Tertio die poſt apertionem (præhabita prædictione ex Hippocrate, ſi inſtar amurcæ pus excerneret, malum lethale eſſe) æger mortuus eſt. Curatio enim apoſtematis hepatis vana & caſſa eſt, nam totum corpus cum eo ruat neceſſe eſt, cum ſit membrum principale & organum ſanguificationis. Propterea cum ægrum in tali ſtatu inueniſſemus, mortem prædiximus, ita vt non ſolùm tuti à calumniis fuerimus, verùm etiam magnum honorem ex illo prognoſtico apud multos conſecuti ſimus.

SCHOLIA.

DE *inflammatione hepatis ſeu apoſtemate latius agemus, cùm de morbis particularibus ſermonem habituri ſumus, at nunc de febre typhode, qua iuuenis hic prius laborauit, dicamus. Erat autem hæc febris, ſicuti ſuperior ſymptomatica. omnis enim ſymptomatica (vt dictum eſt prius) in genere continuarum eſt. Neque vnquam viſa eſt intermittens. Huius proxima materia continens cauſa non in venis eſt maioribus, ſed in parte aliqua piam, è qua*

Omnis febris ſymptomatica cõtinua eſt.

aut

aut putredinis quiddam, aut teter putridusq́; vapor in cor
obrepit. Eius quidem genera multa. vnum inflammatio-
nes sequitur, quod & ipsum est multiplex. Cùm enim aut
externa, aut distans est inflammatio, non nisi ephemera
febris accenditur, quod solus calor in partium continua-
tione in cor euadat. At si partium interiorum maximeq́;
principum & cordi vicinarum, vel phlegmone, vel erysi-
pelas est, sanguis biliosus putrescens aut illis in cor subit,
aut tetrum putremq́; de se vaporem in ipsum emittit, è quo
per arterias fuso, putrida fit febris. Sic à phrenitide, ab an-
gina, peripneumonia, phtisi, pleuritide, hepatide, spleniti-
de, & à nephritide, febris fit phlegmonodes. Ab erysipe- Febris Phlegmonodes.
late typhodes, ea quoque grauior, quò pars affecta nobi-
lior cordiq́; vicinior fuerit. Aëtius verò febres symptoma-
ticas, quæ fiunt in visceribus, ex erysipelate hoc modo di-
stinguit. Si erysipelas fuerit in ventriculo, febris quæ inde
incenditur, dicitur lipyria, de qua paulo antè diximus. Si Lipyria.
in hepate, typhodes. Si verò in pulmone erysipelas con- Typhodes
sistit, tunc appellatur crymodes febris. Nonnunquam ta- Aëtius lib.5. cap.88.
men inflammatio, quæ febris symptomaticæ origo est, per Febris crymodes.
initia quasi inuoluta iacet, at febris eius symptomatica ad-
modum conspicua est: vtraque acuta est, & putredinis no-
tas exhibet, sed symptomatica nullis statis periodis exacui-
tur, vrinæ nullum putredinis indicium habent, nisi ex af-
fecta sede, putredo forsan obrepat in venas: si non statim
initio, mox tamen inflammatæ sedis indicia proferent rarò
vel septimo, vel quartodecimo aliisue decretoriis iudicio
soluitur. In primaria febre continua hisce contraria appa-
rent omnia. Alterum febris symptomaticæ genus multo ob-
scurius est eam febre continente. Fernelius lentam ap-
pellat. Oritur enim non è visceris partisue cuiusque in-
flammatione, sed è latente obstructione & putredine, quæ
visceri contumaciter inherescit impactaq́; est, adeò vt &
ipsa

ipsa visceris substantia plerunque labefactetur. Putredinis portio nonnunquam in venas effusa sanguini permiscetur. Hæc motus præ se fert symptomaticæ eius quæ aut phlegmonodes, aut typhodes appellatur. Distinguitur autem quod omnium putridarum est mitissima. æger nullo graui symptomate premitur, sæpe nec se ægrotare putat. Putredinis tamen notæ interdum elucent in vrinis: pulsus frequens, celer, & inæqualis, non tamen magnus, aut vehemens, vires imbecillæ & languidæ collabuntur, vt ne progredi æger possit: corporis moles, etiamsi alimentum sumitur, sensim liquescit. Diuturna etiam hæc febris est, quæ reliquarum continuarum terminos prætergreditur, nec vigesimo, nec interdũ quadragesimo soluitur. Huius cum suspicio est, fomes quærendus, omnesq; corporis partes animo sensúq; lustrandæ sunt, dum signis conspicuum sit, in quas parte consistat; sæpe in ventriculo, aut in iecore, aut liene, mesenterio, nonnunquam in pulmonibus cuiusuis humoris seminalis putredo cumulata hanc excitat. Sedulò igitur obseruanda sunt hypochondria & hypogastrium, num in his tumoris sensus cuiusdam insit. Huius febris exemplum vidimus in nauta Delphio, qui tandem circa orificium ventriculi in furcula, postea descendente, in musculis ventris passus est abscessum, qui apertus fuit & tandem post multos dolores & labores curatus fuit, quamuis postea recidiuam incurrens, in lienteriam incidit, ex qua mortuus est. Sæpe etiam vel in cachexia, vel in fœdis virginum coloribus, serosæ pituitæ, leuis putredo illam protulit. & hæc quidem lenta simplex appellatur. Altera est lenta periculosior, quæ non solùm ex impacti humoris, verùm etiam ex visceris cui insidet, corruptione putredineq; emergit. Iecoris, pulmonis, cerebri, ac lienis, interdum etiam renis, distantium partium corruptela, simplexq; putredo, tametsi nullo putri humore comitatur, quoniam tamen exspiratione graui cor assiduò

Febris symptomatica, quæ lenta & simplex est.

Lenta symptomatica nõ simplex, sed periculosior.

aßiduò laceßit, continuam febrem non aliter quàm putridus humor suscitat: eamq; symptomaticam ac omnino lentam: hanc plerique rerum affinitate ducti, hecticam dixerunt, iisdem notis se prodit atque nunc exposita. Internoscitur autem, quòd sensim editur, multoq; tempore procedit: aliis ferè morbis succedit, vt hæc febris de qua nunc agimus, à typhode vera, scilicet ab erysipelate: nihil vel minimum euacuatione mitescit, nullis cedit remediis, sed iis sæpe exasperatur, sensum ac plerumq; sine sensu hominem extenuat & marcore conficit. quemadmodum etiam euenit genero illius Iohannis Potlerdi apud Delphos *Geometræ insignis amici nostri familiaris, qui ex abscessu hepatis, licet exterius scalpello aperto, substantia eiusdem putrefacta amurcam per vulnus reddente, tandem consumptus obiit. Idem euenire potest in pulmone exulcerato, quemadmodum ægro decumbenti longo tempore in nosocomio* Delphensi *contigit, qui vulneratus in pulmone, eoq; tandem putrefacto, ex tali febre contabuit, licet ex manibus chirurgorum fractus, ab Empirico illo gibboso, qui ei sanitatem pollicebatur (vt impostores solent) non diu superstes mansit, cumq; sectio post eius obitum facile causam mortis aperuisset, media pars pulmonis consumpta ac purè soluta spectabatur. At in altero vulnerato antea in eodem nosocomio, qui vltra annum cum dimidio ibidem decubuerat, in sectione ipsa tota substantia pulmonis adeò cum pure longo tempore excreta videbatur, vt cor denudatum sine pulmone (dictu mirum) spectaretur. Hoc genus febris quæ phtisim comitatur, inter hecticam minimè recēset Fernelius, sed putridam ait esse ex putrescente pulmonum substantia, neque enim necesse est, inquit, putridam omnem in humore constitui. Verùm hæc febris qua noster iuuenis in principio laborare visus est, de qua nunc sermonem habemus, erat verò typhodes, quamuis postea in lentam illam*

febrem transierit, ex iecoris substantia putrefacta tandem & vlcerata, & sic paulatim, vt alij iam supradicta, extenuatus est non aliter, quàm in iis fieri solet quibus pulmonis substantia putrescit. At typhodes quæ ex hepatis erysipelate fit, sicut & crymodes ex pulmonis erysipelate (teste Aëtio) quo ad curationem attinet, indigent edulijs, potionibus, & extrinsecus linimentis refrigerantibus & humectantibus, & vigente morbo frigida potio strenuè ingerenda est, tum iis vtendum, qualia de febris lipyriæ curatione enarrauimus. Cumq́; & huius febris curationem Aëtius describat lib. 5. cap. 88. ad illum locum lectorem relegamus, cum non opus sit eadem hic interserere. Nam & febres ex inflammatione viscerum curantur indicatione sumpta à febribus ipsis, tum à sede affecta, quæ in propriis locis describuntur: sic in febre pleuritica videndum quomodo pleuritis curetur, & ita de aliis viscerum inflammationibus. Hæc de febribus symptomaticis, quæ etiam continuæ sunt dictæ, sufficiant, quibus & alias continuas malignas quæ subsequantur adiungemus: vt omnis tractatio particularis de febribus continuis hoc libro finiatur.

Curatio typhodis & crymodis.

OBSERVAT. XXXVIII. DE FEBRE QVÆ ASSODES GRÆCIS DICITVR.

VIDVA illa, quæ in platea Vaccea Delphis habitabat, cuius maritus in stagno seu lacu Harlemensi (cui tamen ob latitudinem mare quoque nomen est) in naui vel potius cymba, tempestate oboriente, aqua obrutus perierat: hæc ipsa nata circiter annos quadraginta in fine mensis Iulij anno 1566. canicula adhuc æstuante, febre Assode correpta est, ita angebatur, vt in lecto manere non posset, neque vllam decubitus figuram seruare, omnia fastidiebat, hypo-

hypochondria maximè intendebantur, sitiebat, vigilabat. Ad hanc tertio die accitus, animaduerti membra externa frigida esse, quodque præ angustia sese iactaret, neque in vno consistere loco posset, valida siti premente: tandem tum infrà tum suprà multa biliosa, & simul acria deiecit, bilem quoque prasinam cum crasso humore mixtam: quæ in syncopen prolapsa cum intensissimo stomachi dolore ac lancinatione, & hypochondriorum tensione, vt iam animam exspirare videretur. Ex his omnibus quidem signis percepi febrem continuam esse eamque periculosam, quæ Græcis Assodes dicitur. circa stomachum se exuri clamabat. Cùm autem plurima suprà infraque deiiceret (vt dictum est) exhibui decoctum hordei communis cum oxizacch. quo potu maximè delectabatur, qui egregiè non modò iuuabat, verùm etiam sitim extinguebat: mox & continuò lambendum dedi rob. de ribes in quo tabellæ manus Christi dictæ immixtæ erant. Stomachum verò inunxi oleo cidoniorum. Post quartum diem fluxus mitior factus est, & calor febrilis tum sitis minorabatur. tenuissima vtebar diæta. Potus erat aqua hordei, cum oxizacch. Postea pro cibo solo hordeato vsi sumus. Septimo verò die cùm anteà ab omnibus pro deplorata haberetur, probè curata fuit.

SCHOLIA.

HIPPOCRATES *loquens de istis febribus malignis 4. De vict. rat. in morb. acutis. dicit, quibus febres graues & implacidæ sunt, & hypochondria contendunt, iacentesq; ægri se continere non possunt, atque extrema frigescunt, absolutißima diligentia tum custodia indigent, eosq; ita degere oportet, vt nihil præter aquosum oximel.* Hippocrates.

attingant, sorbitionem non dabis, donec sese malum remiserit, & vrinæ maturæ fuerint. Galenus *supra hunc textum in commento,* Hippocrates, *inquit,* ἀσώδεις *febres appellat, in quibus ægri* ἀσῶνται, *id est, grauiter afficiuntur, atque implacidè molesteq; se habent, difficilis autem tolerantia, atque implaciditas sequitur interdum febrem immobilem & æstuosam, sæpius quoque & stomachi malitiam, id est, os ventriculi infestans. Est autem materia huius, vt ex eodem commento constat, humor crassus alioqui acris & biliosus, tunicris stomachi imbibitus. Fit quoque ex ardore (vt* Holerius *doctissimus annotauit) licet ex dolore interiori, alioqui grauiore quædam accidentia eius febris esse possunt. Cognoscemus autem hanc febrem ex eo, quod perpetuò iactantur ægri, nec vllam seruant figuram decubitus, omnia quoque fastidiunt, (vt dictum est) hypochondria contenduntur, sitiunt, vigilant, aut in leui somno delirant. Pessimum hoc genus febrium est, in quo celeriter pulsus concidunt, & occasio præripitur maiorum remediorum, ideò rectè* Hippocrates *dixit, diligentia maiore opus esse: hinc postea quoque sæpe mortem inferens. Coniectura autem colligere oportet ex vrinis quidnam futurum sit, nempe crassiores, pallidiores, meliores: tenuiores verò, & nigriores, perniciosæ magis. Quod ad curationem attinet:* Hippocrates *diluto oximeli vtitur non sine causa, (teste* Galeno*) vtpote cum crassos humores glutinososq; incidat absque calore vehementi: diluto verò, vt melius transeat.* Holerius *eius loco vtitur, syrupo acetoso & nos rectè oxizach. cum biliosus humor existat, & calor acrior adsit.* Holerius *etiam diluto absynthij & hordeato ex hordeo integro. Nos autem ob fluxum crebriorem in hac ægra & ob vomitum hordeato vsi sumus, ex hordeo mundato, amigdalis dulcibus depilatis pistisq; adiectis instar emulsorij; loco cibi; alioqui victus incidens & refrigerans esse debet:*

ἀσώδεις febres.

Causæ.

Notæ.

Præsagia.

Curatio.

debet: propterea etiam citria mala per taleolos incisa, amotis corticibus exterioribus saccharoq́ʒ aspersa concessimus, tam pro siti, quàm pro putredine febris & materiæ incisione. Hippocrates tenuissimè nutriendum esse præcipit, siquidem vires permittant: neque sorbitiones admittit, antequam vrinæ maturentur, & malum remittatur. Purgatio, quamuis de ea non sit mentio apud Hippocratem, debet esse leuis ex rhabar. sed in nostra ob fluxum minus conueniebat. Iuxta Hippocratem quoque æger iaceat in conclaui obscuro, lecto quidem molli, nec minimè se iactare aut proiicere debet, diutiusq́ʒ positum sustinendo. Hæc, inquit Galenus in commento, maturatoria auxilia sunt, quæq́ʒ angorem & molestiam tollunt, coctionem iuuant, & vires conseruāt. eaq́ʒ de causa in conclaui nostræ ægrotantis, vitreis fenestris velamen apponi iussi. quæ simul ad somnum conciliandum iuuabant. Deinde Hippocrates ad topica remedia veniens, hypochondrium semine lini illinit, tepido quidem ex aqua & oleo cocto. Hoc mollit, teste Galeno, nec manifestè calfacit: quæ maximè expostulat omnis phlegmone, cùm & hæc maturent & per halitum digerant. Idem præstat hydræleon in quo semen lini, althea, incoctum sit. farina quoque hordeacea ex eodem hydræleo instar cataplasmatis subacta & hypochondriis imposita. Verùm nos in nostra ægra ob vomitum & fluxum ad maiorem roborationem stomachum oleo cotoneorum inunximus, & tandem aliis enumeratis remediis in obseruatione præcedente, sana euasit. Topica.

OBSERVATIO XXXIX. DE FEBRE CARDIACA DICTA.

VIR annorum triginta, baiulus, raræ constitutionis ac biliosus, cùm valdè æstuaret ac febriret, in syncopen lapsus est. Hic autem decumbebat in ag-

in Aggere nouo longo (ita enim plateæ nomen erat) Delphis, canicula seu syrio etiam ardente. Ad hunc vnà cum pharmacopæo deductus (nam vxor huius ægri nutrix pharmacopæi erat) inueni eundem valdè æstuantem cum spiratione admodum crebra & frequenti : cogebatur rectè sedere non aliter quàm asthmatici solent, & cùm semel sputum cruentum expectorauerat, vt mihi tunc narrabatur, prima fronte suspicabar peripneumoniam adesse, sed me præsente nequaquam, cùm neque tussis vlla adfuerit. Sed animaduerti circa cor ipsum maximè dolere, cuius causa facilè etiam syncopen incurrebat, & cùm æstus vehemens adesset, certis rationibus adductus fui hanc febrem illam esse, quæ à medicis cardiaca dicitur, de qua etiam Holerius obiter mentionem fecit. ideò ilicò sanguinem detrahere iubeo, sed parcius, aërem quoque frigidiorem, tum victum humectantem ac refrigerantem adhibeo: cor autem conforto cum syrupo de limonibus, de acetos. citri & tabulis manus Christi perlatis. Cumque ei aluus facilè ex syrupo violaceo, tum rosaceo solutiuo moueretur, alia lenitiua : neque alia pharmaca præscripsimus. Cor iulebis alterantibus refocillauimus, & post quartum diem statim post missionem sanguinis conualescere cœpit, vt in septimo omnino à febre hac maligna liberatus fuerit.

SCHOLIA.

Febris cardiaca grauis & periculosa.

NON minus grauis est & periculosa febris cardiaca, quemadmodum & assodes supradicta. In hac vehemens æstus est, facies rubet, magnus est cordis saltus, exigua frequensq; spiratio, residere volunt vt pulmonarij, dolitant in regione cordis : inclinante morbo, sudor tenuis fit, fri-

ſit frigidus aliquando, ex qua ſyncope & mors, vti puellæ euenit quæ ad templum nouum decumbebat: alioqui vapor calidus per cutem exit, quod medicum fallit, niſi & manum adhibeat ori, hinc enim ſpiritus frigidus, ex his mors. Initio ſanguis detrahendus, quod Holerius quoque ſuadet, aër frigidus imbibendus, flabello quoque æger ventilandus. Victus refrigerans & humectans præſcribendus, deinde minimè illa omittenda quæ ad ſyncopen valent, & quæ in febre ſyncopali ex materia calidiore proſunt, de qua latius paulo pòſt agemus. Epithemata verò hîc quoque locum habent, cordi admota ex aqua viol. nenuph. borag. melliſſæ, ſantalis adiectis, & croci momento. Syrupi etiam hic proſunt de limonibus de acetoſ. citri, de acetoſ. nenupharis, viol. pap. acetoſus ſimplex: ex quibus iulebi ſyrupi adiectis aquis cordialibus parari poſſent. Huc etiam ſpectant condita cordialia, refrigerantia, alterantia, & cor confirmantia, quæ variis modis ex ſupradictis tam febribus acutis quàm ardentibus in vſum reuocanda ſunt. Loco lucido immorari debent, ſuaui aura perflato, vel naturaliter alterato, vt de cauſone aliàs diximus. Decubitus quoque ſit altior, vt melius ſpirare poſſint. Curatio.

OBSERVATIO XL. DE FEBRE COLLIQVANTE.

GVILHELMVS Melliſſæus Delphius, vir annorum ſexaginta ſex, qui circa foſſam aqueam ad portam habitabat, qua ad Moſæ regionem itur, in febrem colliquantem incidit, cui deiectiones alui rufæ, craſſiuſculæ, fœtidæ, & valdè pingues, viſcoſæ, atque bilioſæ, tum ſpumoſæ erant: ſimiliter & vrinæ ſpumoſæ atque bilioſæ ſpectabantur: facies huic conciderat, vt hominem vix agnoſcerem, quem

antea familiariter cognoueram. Dedimus huic rob. de ribes, cum miua cithoniorum dicta: & quia metuebamus exulcerationem intestinorum, remediis ad dysenteriam valentibus vsi sumus. Post lotiua remedia, conseruam rosaceam cum zaccharo manus Christi perlato, syrupo de portulaca, & cidoniorum præscripsimus. Pro stomacho quoque & ventre linimenta constringentia & simul roborantia. Cibus huic hordeatum erat, cum emulsione amigdalarum dulcium, prius corticibus ablatis, etiam oxigala. Et represso calore febrili, fluxus in sene extremè laborante desiit, & præter omnium astantium opinionem breui admodum conualuit.

SCHOLIA.

Febres colliquantes cur pessimæ atq. malignæ.

FEBRES *colliquantes pessimæ, & valdè malignæ sunt, in quibus substantia corporis multis modis diffluit, idq; aliquando paulatim, vt in marasmo, & febribus hecticis (sicuti contigit M. Adriano Leonino, Leydio, viro doctissimo, quondam Delphio Pensionario.) Nonnunquam verò statim initio morbi substantia corporis dissoluitur, carnosumq; genus pingue & solidum. Ita vt aliquando effluxus substantiæ fiat per insensibilem transpirationem, idq; dupliciter, vt nunc diximus, vel paulatim, vt in febribus quæ marasmodes & hecticæ nominantur: aliàs verò breuissimo tempore, quemadmodum vxori Domini de Oosterwyck in Hagha Comitis euenit. Hæc ipsa licet antea ventris fluxu laboraret, quem non magnifaciens, tandem nullis adhibitis remediis in febrem colliquantem eamq; lethalem incidit: ad quam Doctor Hugo Nieuenius medicus Haghanus primo vocatus est, deinde me, tum Cornelium Leydium Delphium medicum & collegam meum vnà statim quoque vocarunt maritus atque amici astantes;*

astantes; verùm cum febrem hanc colliquantem nullo modo extinguere possemus, neque fluxum clysteribus refrigerantibus deinde etiam restringentibus ad dysenteriam aptis compescere, quarto die ilicò mortua est. Febris hæc colliquans adeò sæua fuit & atrox, vt non solùm per insensibilem transpirationem, sed etiam per manifestam excretionem totum corpus resoluerit, & breuißimo tempore colliquando substantiam ipsam, matronam hanc probam, mox interfecerit. Tam atrox & maligna est aliquādo hæc febris, vt hominem ilicò ad sepulcrum demittat. Cuius quidem febris etiam hæc signa sunt. Nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora, & alia in initio prædictionum Hippocratis enarrata. Sed longè periculum maius est, si id derepentè fit, ardore febris, & igneo calore, qui quidem substantiam corporis resoluunt in fumos, frugi quoque spiritum & naturalem per poros excludunt. Minus periculum est, cum ex vigilia, insigni purgatione, inedia, rebusq; eiusmodi colliquatio facta est, eaq; breui tempore reparari potest. Ex mœstitia & grauioribus animi curis idem contingit, sed ea colliquatio non ita celeriter instaurari potest. Propriè tamen colliquans febris appellatur, in qua feruidus malignusq; calor est, qui non solùm per insensibilem transpirationem, sed per manifestam quoque (vt paulo antè diximus) excretionem exsoluit corpus, quemadmodum in hoc nostro (de quo nunc agimus) ægro erat. In hac deiectionis alui rufæ, craßiuscula, fœtidæ, aliquando pingues & viscosæ, biliosæ, quibus & spuma insidet, quæ feruorem indicat: vrinæ verò similes. Aliquando morte instante, tenuis sudor, syncope, & tandem mors. Vbi igitur in febre acutißima, statim ab initio ex facie illa mortifera iam dicta colliquationem intelligas, maioribus remediis omnino abstinendum est, vt effluxum illum prohibeas, & causas syncopis anteuertas. In his febribus virtus languida

Signa febris colliquantis.

Præsagia.

Curatio.

ferè est, quæ maiora remedia non admittit. Vbi enim videris alui excrementa rufa, grauiter olentia, spumosa, viresque languidas, non solùm maioribus remediis abstinendum, verùm etiam syrupis mellitisq́; rebus nisi eiusmodi syrupi plurimum diluantur. Hippocrates mulsa interdicit, quæ tantum octauam partem mellis recipit. Et Gal. commento 3. de vict. morb. acut. cum ex mulsa epota vel absque ipsa quis spumosa simul & biliosa deiecerit, febrem scieris esse, inquit, quæ liquefaciat & ad tabem perducat, propterea ab vsu mulsæ abstineto, atque ad ptisanæ cremorem deuenito. Duo Hippocrates remedia annotat, ptisanæ cremorem, & aquam frigidam. Nos & hordeato vti possumus, lactuca, portulaca, & in summa rebus quæ humectant & infrigidant. Aquæ frigidæ tempus est, cum res melius habere cœpit, & excrementa magis cocta sunt, quanquam & ante hoc tempus licebit vti frigida, si quidem æger vehementer appetit, vehementer sitit, & assuetus est potui frigidæ. Nos eius loco aquam endiuiæ vel aquam coctam damus cum pauco syrupo de agresta, de ribes, qui admodum delicatus est. Holerius verò cùm ab aqua frigida metus est, refringi ipsam iubet decima parte vel octaua sacchari communis, vel violati, alioqui eadem mensura, syrupi violati de pap. de nenuphare, de acetosa, de agresta, de limonibus, de acetositate citri, & aliis eiusmodi exhibere possumus. Sic & epithemata, illitiones & hypochondriis & thoraci conueniunt, quæ refrigerant, humectant, leuiter adstringunt ex aqua rosacea, aceti momento, oleo rosaceo, santalis. Ægri constitui debent loco aura frigida perflato, si valdè æstuant. atque etiam aliquando flabello ventulum facere oportet. Et quia aliquando acrimonia excrementorum intestina exulcerari solent, clysteribus vtendum erit, quæ refrigerant, humectant, leniunt, quorum compositio ex cap. de dysenteria petenda.

Si fluxus

si fluxus inualeant, viresq́ deiiciantur, paulatim hunc ipsum reprimere oportet. Aëtius scribens de colliquante febre ex mente Philagrij medici antiquissimi, occurrit huic febri rebus exstinguentibus calorem. Adhibet cataplasmata, & epithemata refrigerantia, thoraci quoque & hypochondriis, & alimenta prabet qua infrigident & humectent, atque ea deinceps valere dicit, qua de febribus ardentibus scribuntur, qua ipse ex iis qua de causo diximus superius colligere potes. Lib. 5. cap. 89.

OBSERVATIO XLI. DE FEBRE syncopali continua à bilioso humore.

IVVENIS studiosus & litteratus, annorum octodecim, valdè macilentus, aridus, raræ constitutionis, atque biliosus, facie admodum pallida & extenuata, in febrem acutissimam (cùm Alcmariæ idem Iuuenis adhuc scholarem ageret) incidit, cum syncopi grauissima, maximè in ipsis febris exacerbatione. Faciem aqua rosacea lauimus, & vinum ad odorandum pro syncope leuanda naribus adhibuimus. Manus Christi confectionem cum rob. de ribes, syrupo de limonibus, aliaque bilem refrenantia, & ad syncopem facientia administrauimus. Sed cùm cholerarn prassinam æruginosamq́ue in maxima copia euomuisset, ex qua demum syncope exorta, & tandem extrema frigerent, sudorque frigidus vndique emanarit, quarto die (præhabito tamen prognostico) hic obiit.

SCHOLIA.

HÆC *erat illa febris syncopalis grauissima, à bilioso humore, quam Arabès syncopalem minutam vocant. Est & alia syncopalis ab illis humoralis dicta ab humore*

more nempe pituitoso, de qua sequenti libro de febribus intermittentibus agemus. Nunc verò de biliosa tantum dicamus ex Arabum decretis, cum ipsi hanc diligenter insequentes Auicennam descripserint. Dicitur autem syncopalis minuta, vt eam distinguerent à repletionali, quam à barbaris neotericis humoralem appellari diximus, & ideò etiam minutam vocant, eò quòd paucam materiam contineat eamq; valde venenatam. Etiam hæc ipsa febris admodum acuta, cum velocitate eueniens, cum syncope, & casu virtutis, & ideò syncopalis ab accidente concomitante dicitur. Etiam acuta appellatur ob sæuitiam accidentium, deinde quòd hæc ipsa admodum breuis est, & citissimè terminetur, vt subinde virtus non sufficiat vsque ad quartum diem. Ea ipsa quoque duplex est, vel intermittens, vel continua. Curtius tamen eam posuit sub febre continua, inquiens, Syncopalis minuta est febris, quæ fit ex humoribus tenuibus, qui facilè exhalant, maximè si retentrix facultas sit debilis, & expulsiua fortis, & pori lati, sic quòd resoluatur virtus & in syncopen incidat vt 12. meth. cap. 6. Est autem dicente Curtio febris continua, quia aliter non esset exitiosa, aduenit ætati & temperaturæ & regioni calidis, & siccis & regimini simili vt 10. method. cap. 3. videre est in illo iuuene, qui laborabat hac ægritudine, quemadmodum & Gal. quoque testatur 12. meth. cap. 6. Fit itaque hæc febris à bile supra modum tenui & venenata, in corpore iuuenili, macilento, raræ texturæ, & valdè bilioso, magna ex parte ex cholera prassina & æruginosa, ex qua fit syncopis, etiam vt alij volunt ob inflammationem alicuius visceris. Talis autem febris grassatur magis tempore æstiuo aut autumnali, quod fit ob tenuem humorem biliosum, vt liquet ex 12. meth. cap. 6. A sanguine enim nec ab aliis humoribus non potest fieri per se, sed ex cholera sicut colligere possimus 1. prognost. 10. & 11.

Febris syncopalis minuta, cur ita dicta.

Febris syncopalis cur ita dicta. & cur etiam acuta vocatur.

Febris syncopalis minuta modò cõtinua, modò intermittens est.

Secundum mẽtem Galen. hæc ipsa febris magis continua est.

Causæ.

Addit

Addit Auicenna, vt dictum est prius, ex materia veneno-sa. Eius signa sunt in locis citatis posita, interea & nasus fit acutus, oculi caui & alia quæ Hippocr. *de facie scripsit 1. prog. 8. 9. & 10. siue multum excernant, siue vigilent, siue tristentur, siue non citò nutriantur. Si in principio talis febris apparet, huius febris est signum: verùm vbi cum aliis signis appareat, minus periculum est, vt 12. meth. cap. 6. & 1. prognosticorum* Hippocrates *docuit. Syncopis autem in hac febre fit tempore maioris resolutionis, & ideò in statu: & hanc etiam ob causam differt à syncopali humorosa, quam alij sub intermittente ponunt, quæ tertio quoque die paroxysmum facit, & ad quietem perfectam venit, in cuius principio paroxysmi sæpius fit syncopis. At in continua, de qua nunc agimus, quæ tertio die exacerbationem habet, in qua exacerbatione etiam fit syncopis præcipuè, ad quietem non peruenit. Facilè autem cognoscuntur ob syncopen & accidentia, quæ bilis inferre solet. Plerumque lethalis est, & vix ad quartum paroxysmum peruenit, quin iugulet ægrum. Ipsa tamen continua ceteris paribus intermittente periculosior est, vt ferè semper lethalis sit, & rarò quartum diem attingat vel superet. Ideò vtraque hæc febris diligenter curanda, & curationes auctores vno modo absoluunt. quanquam huius curatio, si continua sit, procul dubio valdè est periculosa, cùm humorali opponatur; vnde & opposita quoque exigit remedia. Si ergo in ea virtus sit debilis, & sit apostema in membris interioribus, iam salus est desperata. Quod si non sit apostema, vel actu est syncope, vel non. Si est, oportet dare cibum scilicet panem infusum in vino, sicut fecit Galenus in illo iuuene 10. meth. cap. 3. Quòd si non sit syncope, videndum an possimus curare causam, & prauidere ne sequantur symptomata, & erit optima curatio, modò non sit aliud symptoma quod impediat. Si igitur sit virtus debilis, cibabimus*

Signa.

Præsagia.

Curatio.

bimus sæpe ter vel quater, sed parum vnica vice dando. Si virtus fortis, rarius & plus dabimus, & tunc licebit aliquo modo lenire ventrem cum caßia vel manna. Sic igitur procedendo omni diligentia studebimus vti cibis & medicinis densantibus corpus, & applicando exterius olea astringentia, virtute vigorata, humoribus incrassatis, & corpore densato, tunc educere concedetur materiam biliosam, cum iis quæ etiam membra roborent, vt est rhabarbarum, vel mirobalanis citrinis. Postea vtemur quæ membra magis corroborent. In declinatione autem cùm non amplius sit timor de syncope, Curtius leuem frictionem admittebat. Ceterùm vt auctorum dicta de curatione huius febris in certum progrediendi modum contrahamus, curabimus imprimis vt aër sit frigidus & humidus arte vel natura: non desunt qui & astringentem aërem laudant, ne substantia diffluat, aut spiritus euaporentur. Cibi erunt restaurantes, vt panis infusus in succo granatorum, vitella ouorum cum omphacio, panata, seu panis in minutißimas partes seu scobem redactus cum iure pulli, exiguo sacchаro addito, & cum succo limonum alteratus: sorbitio ex halica, hordei cremor, cum succo malorum punicorum, fructus austeri, testiculi gallorum, ius stillaticium ex carnibus pulli, irrigatis aqua rosacea, acetosæ, buglossæ, succo arantiorum, granatorum acetosorum vel muzorum vt vocant, aliaq; iura restaurantia. Carnes pullorum, hœdorum, phasianorum, perdicum cum eiusmodi succis acidis alteratæ. Pisces quoque carnes duras habentes conceduntur. Inter olera, lactuca, portulaca; inter fructus, pruna. Potus sit vinum aquosum non vetustum nec acerbum. nec est timendum de vini exhibitione propter calorem febrilem, vt vult Auic. 1 1. 3 ij. cap. de syncope. Vel si viscerum timeatur inflammatio, vtatur aq. hordei cum iuleb. rosato, aut syrupo de limonibus, de acetos. citri. Cibum sumat

Aër. Cibus. Potus.

mat paulò ante paroxyſmum ſi febris intermittat; ſi non, aliquando ob ſyncopen in exacerbatione dare cogimur: alias præſtabit dare tempore remiſſionis. Non fiat motio, ſed quies adhibeatur, neque hic fiant frictiones, vt in alia ſyncopali humorali. In digitis tamen vt ſpiritus qui ſunt ſepulti in corde in ſyncope, trahantur ad exteriora, iuxta Nicolum conceduntur, ſed alia ratione quàm in febre humoroſa. Curtius verò, vt dictum eſt, in declinatione febris admittebat frictionem. Somnus in actu ſyncopis, non conuenit, tamen vigilia ſuperflua vitanda. Hic ſomnus in hac febre maximè laudatur, quia in ipſo non fit tanta commotio, ſicuti in vigilia, omnibus enim modis æger quietus eſſe debet: ideò vitabimus maximè vigiliam & motum. Neque hic inanitiò locum habet, neque nimia repletio: cibus itaque eſt partiendus, vt dictum eſt, pluribus vicibus; & in actu ſyncopis propter accidens moleſtum & ſæuum ſubitò vires deiiciendo interficiens admittitur cibus, nempe panis buccella macerata cum vino, ſtatim enim releuat ægrum iuxta Galenum, vt dictum eſt. Quod ad animi accidentia attinebat, vitabit iram febricitans, & moderatè gaudebit. Extra paſtum potus eſſe poterit aqua hordei cum iulebo roſaceo ſatis diluta. Quòd autem ad medicamenta pertinet, ſi aluum non deiiciat infirmus (ſolet enim ſæpius in hac febre nimis lubrica eſſe) confert lenitio ventris, ſed admodum leuis, atque materierum fecalium eductio cum enemate emolliente, aut balanis tantùm, vbi virtus debilis eſt. Sic communes glandes ab auctoribus probantur, cùm minus debilitent, teſte Galeno 3. reg. acut. commento vltimo. Et cuſtodiendus eſt æger ab omni euacuatione præter lenitionem & vomitum. Vnde vomitus hic iuuat (modò non excedat) quia bilis ex ſe mobilis eſt, & ſubtilis: qui ſola aqua calida iuxta Serapionem vel ſyrupo acetoſo ſimplicis iritatur. Ex leniente medicamento confert diaprunum

Quies. Frictio.

Somnus.

Inanitio.

Animi accidentia.

Medicamenta leniſſima tantum adhibenda.

Vomitus.

num simplex absque scammonio, cassia vel manna. Vel hoc Leniens. *modo. ℞ pruno. damas. numero x. iuiubarum numero vij. vuar. pass. enucleat. ℥ ß. thamarind. ℥ j. coquantur in sufficienti quantitate aquæ, & huius iuris decocti accipe ℥ iij. mannæ ʒ x. aut cassiæ ℥ j. syr. acetosit. citri ℥ ß. detur ij. horis ante cibum, vel vna hora si inediam sustinere non* Enema. *possit. Vel sequens enema iniiciatur. ℞ maluæ viol. altheæ, bethæ ana m. j. mercurialis m. ß. prun. damas. xij. folior. lactucæ m. ß. coquantur à s. q. aquæ ad tertias. huius iuris decocti. ℞ lib. j. cass. rec. tractæ ℥ j. zach. rub. ℥ ß. vel j. ol. viol. ℥ iij. misce. Interim & hoc notandum, si materia non fuerit multum furiosa, & inflammata, ita vt febris* Syrupi. *inducias det, tūc auctores iubent vt syrupi ad bilem prasinam maximè valentes exhibeantur, quales in pestilentibus febribus dari solent adiectis aromate & stomachicis atque cordialibus frigidis humidisq́; & aliquando etiam siccis. Alij ad causæ abscißionem medicamentis leuibus, frigidis, stypticis & membra roborantibus commodè vtuntur: vt est succus granatorum expressus cum pulpis suis, thamarind. rhabarb. mycabolani citrini. At præstat prius digerere, modò ægritudo moram patiatur cum syr. de acetos. citri, oxizach. simplici, acetoso simplici, de succo acetoso, cum aquis appropriatis, vt cichor. end. & similibus. Post-* Leuis purgatio. *eà leui vtendum purgatiuncula ex rhabar. myrabol. citrinis cum decocto prunor. thamarind. sebesten. iuiubar, cum herbis nempe acetos. capill. ven. vel cassia aut manna cum decocto simili euitando semper scammoneata. Cæterùm cum præcipua pars curationis huius febris ob syncopen consistat in prohibitione fluxus materiæ biliosæ ad ventriculum, cuius causa æger frequenter syncopen incurrit,* Prohibitio fluxus biliosi. *eandem intentionem perficiunt auctores (vt dictum est) pane infuso in succo granatorum acetosorum aut muzorum, vel arantij succo, eoq́; pane prius esse, vt Blasius Astarius à*

rius in suo libello De febribus cõsulit: quam buccellam panis in principio paroxysmi vel ante paroxysmum dabimus. ita & post medicamenta lenientia roborabimus principes partes, vt materiæ prauæ resistant & febri: quam intentionem absoluemus tam internis quàm externis medicamentis admotis. Interius quidem confectione trionsandal. zach. rosaceo, conditis, tabulisq́ roborantibus refrigerantibus, de quibus in febribus ardentibus tum biliosis satis superq́ dictum est. Exterius adhibentur epithemata, cordialia frigida & humida, modò tußis pectorisq́ angustia non prohibeant, tunc etiam sicca conueniunt, vt sacculi cordiales. Epithema tale esse poterit. ℞ aquar. ros. ℥ viij. aq. acetos. nymphea bugloß. ana ℥ iij. santalorum omnium coralli vtriusque ana ʒ j. ß. croci ℈ ß. aceti vel eius loco vini albi optimi ℥ ß. caphuræ gr. iij. fiat epithema. eóque etiam testiculos madefacere poßumus. Sacculus ita paretur. ℞ flor. nymphea ros. rub. viol. ana ʒ ij. santal. omnium ana ʒ ß. coriand. labrusca se. acetosæ ana ʒ ij. oßis de corde cerui ℈ j. margar. nouar. ℈ ß. caphuræ gr. iiij. puluerisentur omnia mediocriter, & ponantur in sacculo sericeo rubro, qui cordi sub mamilla sinistra applicetur. Reliqua de peste dicenda hîc conueniunt. Hepati quoque, renibus, spinæ dorsi, frigida humidaq́ vnguenta admouenda. rosaceum infrigidans Galeni. Guilhelmus cap. proprio, camisiam in aqua rosacea infusam cum santalis induere iubet, si sudor superfluat, & syncope superueniat, quem & Alexander inhibendum esse ait. Existimarem quidem ita lotam & deinde exsiccatam sufficere, & non humidam induere, ob calumniam vulgarium. De hoc symptomate plura videas apud auctores de curatione febrium acutarum. Ita etiam Sauonarola de correctione accidentium huius febris lectorem remittit ad ea quæ scripta sunt de febribus acutis. Verùm præcipuè syncopi occurrendum.

Roborantia. Epithema. Sacculus. Vnguenta.

X dum.

dum. Propterea admonet idem Sauonarola, vt tempore syncopis paratum habeamus aliquod epithema cordiale, vel sacculum, micam panis infusam in succo granatorum (vt dictum est) acidorum, aut agrestæ, vel arantiorum, vel cotoneorum, aut in vino aromatico cum aqua rosacea lymphato, vel succo acetosæ. Et vbi virtus deiecta est, sæpe exhibeas aquam carnis sublimatam; aut ius alteratum cum succis prædictis frigidis, aut cum santalis. Confert etiam confectio manus Christi dicta. vel hoc conditum. ℞ *conserua ros. borag. ana* ℥ j. *corticum citri conditi* ʒ j. *frag. omnium lapidum pretiosorum margarit. ana* ℈ ß. *scobis auri & argenti ana* ℈ ß. *zach. q. s. fiat conditum. vel* ℞ *pul. diamarg. frig.* ℈ ij. *coralli rub.* ℈ j. *compos. alchermes composit. de hyacintho ana* ℈ ß. *syr. de acetos. citri* ℥ j. *aquæ acetosæ bugloss. ana* ℥ j. ß. *mis. fiat potio. detur tempore syncopis. Facies aqua ros. buglossæ acetos. aspergatur, trionsand. adiectis cum musco & camphora, modò non sit mulier suffocationi vteri obnoxia. admoueantur odorifera frigida, vt tempore pestis fieri solet. Sauonarola etiam frictiones leues in paroxysmis tam in pedibus quàm manibus concedit cum rebus odoriferis, & alio tempore ad somnum inducendum. At leues esse debent, fortes inflammant, caloremq; augent, & bilem mouent in principio vt virtus excitetur: verùm ea excitata, dimittendæ, & tunc potius febris ratio habenda iuxta tempora eiusdem, & roborationi virtutis incumbendum cum electuariis & confectionibus cordialibus ac alterationi caliditatis febrilis, cum alterantibus frigidis. Verùm si videris infirmum deficere spirituum subtilitate & humorum, qui resoluuntur à caliditate febrili, tunc studeas, inquit, incrassationi eorundem, refrigerantibus, flabellis, irrorationibus, etiam circa testiculos & mulierum pudibunda: est enim hic modus magnæ refrigerationis. & iuxta eundem pulpæ crurum ir-*

Sauonarola.

Conditum.

Potio corroficiens.

rum irroranda aqua rosacea exiguo vino aromatico adiecto ad spirituum & virtutis renouationem: quin imò virtutem roborabimus etiam cibis in principio paroxysmi & augmento vel statu, si syncope ægri obruantur, aut si casum virtutis metuamus, semper euitando fortiores euacuationes, vt dictum est.

OBSERVATIO XLII.

DE FEBRE ELODE.

AGRICOLA in Scoënrelo, pago ita dicto, prope portum Delphium, annorum 40. anno 1566. mense Maio, cùm malè haberet, in febrem elodem incidit, atque hic duobus ferè mensibus in perpetuo sudore erat. Postea ad hecticam peruenit, neque vllis remediis vsus est, nisi in fine cùm morbus iam confirmatus foret, ita vt tunc commodis remediis morbus tolli non posset. Cùm iam ad extremum laboraret, atque in hecticam diuturnam lapsus esset, ac aphtas incurrisset, tunc primùm in fine morbi ad ægrum deploratum accitus sum. Verùm cum vtilibus remediis tunc nihil proficerem, præhabito prognostico, tandem & hic mortuus est.

SCHOLIA.

ELODES *febris dicitur, in qua humida dispositione corpus resoluitur perpetuo madore ac sudore. Sed hæc tamen febris apud veteres (de qua pauci scripserunt) longè alia est ab ea, quæ sudorifera Anglicana dicta fuit, de qua tractabimus cùm de febre pestilenti tum peste dicturi sumus. Verùm hæc ipsa elodes à veteribus dicta, multò longior ac diuturnior existit, quemadmodum & typhodes de qua paulò ante mentionem fecimus. Vbicunque enim sudores diu permanent, corpus resolui necesse* Elodes febris.

 est.

est. Ceterùm cum sudores sicuti, & syncope, symptomata quædam febris existant, de iis plenius dicemus suo loco, videlicet septimo libro cùm de symptomatis febrium agemus. Quamobrem cùm tractatum omnem de febribus continuis absoluerimus & de putridis continuis: Nunc *ad putridas intermittentes progrediamur, huic secundo libro finem imponentes.*

FINIS.

ERRATA ADHVC CORRIGENDA LIB. I.

*Pag.*70.*lin.*8.sunt, *lege* fuit. *Pag.*90.*lin.*4.℥ ij. *lege* ℥ j. *p.*113.*l.*29. translatus, *lege* transactis. *pag.*116.*lin.*13.iubilati, *lege* perlati. *pag.*119.*lin.*29.intubæ, *lege* iuiubar.

LIBRI II. ERRATA SIC CORRIGITO.

*Pag.*124.*lin.*19.decort. *lege* decoct. *pag.*136.*lin.*15. malis, *lege* mitis. *pag.*136.*lin.*20.somnus, *lege* sciamus. *pag.*138.*lin.*17.adessem, *lege* adesset. *pag.*141.*lin.*10. tumor, *lege* timor. *pag.*143. *lin.*18. natalis, *lege* immutatis. *pag.* 149. *lin.*1. solutis, *lege* solidis. *pag.* 151. *lin.*17. ℥ ss. *leg.* ℥ ij. *pag.*175. *lin.*15. vitos, *leg.* *vires.* *pag.*183. *lin.*20. duobus, *leg.* duabus. *pag.*89. *lin.*1. hic, *lege* his. *pag.*193. *lin.*16. huic, *lege* hunc. *lin.*17. decumbenti, *lege* decumbentem. *pag.* 209. *lin.*16. aromatisecus, *lege* aromatisetur. *pag.*211. *linea* 27. & 30. furfuræ, *lege* farfatæ. *pag.*236. *lin.*16. minari, *lege* iuuari. *pag.* 239. *lin.*4. satis, *lege* salis. *pag.*240. *lin.*22. lepide, *lege* tepide. *lin. penult.* temporum, *lege* temperiem. *pag.*242. *lin.*17. si, *lege* *se.* *pag.*250.*lin.*4.decuit, *lege* docuit. *pag.*261. *linea* 29. syr. viol. ℥ j. *lege* ℥ j. *pag.*283.*lin.*4. prima, *lege* pruna. *pag.* 297. *lin.*15. cynancho, *lege* cynanche. *pag.*297. *lin.*16. pituitosæ, *lege* perniriosæ. *pag.*305. *lin.* 17. potlerdi, *lege* potterdi. *lin.*19. fractus, *lege* tractus. *pag.* 320. *lin.*9. à, *lege* in. & *lin. vltima* esse, *lege* asso.

OBSER-

OBSERVATIONES MEDICINALES SECVNDVM ORDINEM, QVÆ IN HOC PRIMO LIBRO CONTINENTVR.

IN LIBRO SECVNDO.

XXI.

FINIS.